OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
ARCHIDIŒCESIS FRIBURGENSIS
A SACRA RITUUM CONGREGATIONE
REVISA ET APPROBATA.

JUSSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI ET REVERENDISSIMI
DOMINI DOMINI
THOMÆ
ARCHIEPISCOPI FRIBURGENSIS
TYPIS EDITA.

FRIBURGI BRISGOVIÆ,
IN CANCELLARIA ARCHIEPISCOPALI.
MCMXII.

Ratisbonæ. Ex Officina Fr. Pustet, S. Sedis Apost. Typogr.

FRIBURGEN.

Summopere sollicitus Rm̃us Dñus Joannes Christianus Roos Archiepiscopus Friburgensis ut quæ volventibus annis additamenta accesserunt in ordine divini officii persolvendi a Clero sibi creditæ Archidiœceseos apprime responderent Rubricis et Sacræ Rituum Congregationis Decretis, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII. humillimis datis precibus efflagitavit ut pro eodem Clero approbare dignaretur novum Proprium Officiorum, in quo festa illorum Cælitum rite disponere curavit, quos a vetusta ætate Fideles ipsius Archidiœceseos Friburgensis peculiari cultu prosequi consueverunt, ex legitimis probatisque fontibus desumptis Orationibus et Lectionibus propriis. Hæc porro supplicia vota idem Sanctissimus Dominus Noster clementer excipiens, commisit Sacrorum Rituum Congregationi ut prædictum Proprium Officiorum ab eodem Rm̃o Archiepiscopo juxta Kalendarium perpetuum simul approbatum accurate dispositum, sedulo expenderet. Itaque postquam ipsa Sacra Congregatio memoratum Proprium rite examinaverit, et juxta emendationes a Rm̃o Dño Assessore adnotatas probari posse censuerit; eadem

*

Sanctitas Sua, referente me infrascripto Cardinali Sacræ eidem Congregationi Præfecto, Proprium ipsum suprema sua auctoritate approbavit, concessitque Clero Friburgensi sub conditione ut Proprio Officiorum emendando juxta mentem Sacræ Congregationis omnino præfigatur Kalendarium perpetuum, injunctoque onere eidem Rm̃o Archiepiscopo ut duplex authenticum omnium exemplar ad Sacram Rituum Congregationem statim ac illa fuerint typis cusa transmittantur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 22. Maji 1893.



+ Caj. Card. Aloisi-Masella S.R.C. Praef.

Vincentius Nussi S.R.C. Secretarius



OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
ARCHIDIŒCESIS FRIBURGENSIS.

PARS VERNA.

FESTA MARTII.

Die 2. Martii.

(Dies fixa ex 25. Januarii.)

Beati Henrici Susonis Confessoris O. Pr.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui beátum Henrícum Confessórem tuum córporis mortificatióne et caritáte mirábilem effecísti: concéde; ut Christum crucifíxum corde dilígere, et ópere in nobis exprímere valeámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit Commemor. Feriæ in Quadrag.

In Quadrag. Lect. I. Noct. de Communi 2. loco: Beátus vir.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Henrícus Suso, Joánnes a Suévia dictus, ubi ex illústri família ortus, cognómen non a patre Montése, sed pótius Suson a Matre, ceu piíssima fémina retínuit. Juste sanc-

téque educátus ádeo in virtútibus profécit, ut décimo tértio ætátis anno ad altióra a Deo vocátus, Prædicatórum Ordini Constántiæ nomen déderit. Humánæ vero fragilitáti in religióne páululum indúlgens, per quinquénnium ita se hábuit, ut leves communésque culpas parvipénderet, donec eum Deus, volens divítias misericórdiæ suæ osténdere, a terrénis afféctibus expedítum ad se pénitus attráxit: proptereáque Henrícus intérnis certamínibus et afflictatiónibus, quibus retardabátur a via perfectiónis, magno ánimo superátis, cœléstibus solum ínhians, Dei præséntiam júgiter contemplári constítuit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Christiánæ mortificatiónis exémplar efféctus, Christi passiónem in semetípso exprímere miris abstinéntiis corporísque cruciátibus conátus est; nam cilícium et caténam férream ácubus armátam diu noctúque gestávit, et in ejúsdem passiónis memóriam lígneam crucem clavis férreis hórridam inter scápulas ad carnem sibi aptávit. Super nudam tábulam, ac sine ullo operiménto dormíre solébat; multis prætérea vigíliis, flagellatiónibus aliísque pœniténtiæ opéribus corpus suum, tamquam infensíssimum hostem, quotídie in servitútem redégit. Divíno amóre veheménter accénsus, nomen Jesu sinístro péctoris láteri stylo férreo impréssit; sed Deus, qui ad subli-mióra illum vocáverat, córporis cruciátibus hisce amarióres spíritus afflictatiónes adjúnxit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

Quibus angústiis, necnon hóminum moléstiis ac persecutiónibus Henrícus úndique jactátus, in Dei bonitáte confídens, firma spe, humilitáte et patiéntia de advérsis triumphávit. In Ordinis observatiónibus erat sollícitus, orándi habens stúdium indeféssum, ac siléntium ita servans, ut numquam illud frégerit. Erga Deíparam Vírginem ferventíssimo ferebátur obséquio. Salútem zelans animárum, innúmeros peccatóres ad pœniténtiam redúxit, præcípue vero dum magnam Germániæ partem, Suéviam imprímis et Alsátiam, verbum Dei contínuo prædicans, perlustrávit. Móritur post multos labóres plurimáque patiéntiæ documénta, plenus diérum ac virtútum, in cœnóbio Ulménsi, ubi multis miráculis a Deo claruísse perhibétur. Hujus sancti viri fama longe latéque diffúsa, cultum ecclesiásticum íllico ad præséntem usque diem ipsi conciliávit, quo rite probáto primo Gregórius décimus sextus Ordini Prædicatórum, deínde Leo décimus tértius Archidiœcési Friburgénsi Offícium Missámque in ejus honórem benígne concéssit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus; et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Confíteor tibi Pater. de Communi Conf. non Pont.

Lectio ix. de Homil. Feriæ, cujus Commem. fit in Laudibus.

Die 3. Martii.

S. Cunegundis Imperatricis, Virginis.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui beátæ Cunegúndi Vírgini tuæ terréna despícere, et ad cæléstis impérii culmen anheláre tribuísti: concéde, quǽsumus; ut ejus imitatióne calcátis mundi illécebris, ad gáudia ætérna secúri perveníre valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commem. B. Henrici Suson. et Feriæ in Quadrag.

In Quadrag. Lect. I. Noct. De virgínibus. ex Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Cunegúndis Augústa, Germanórum nobilíssima, ab ineúnte ætáte præclára exhíbuit sanctitátis indícia, ac Deiparæ Vírginis, cui se totam addíxerat, patrocínio mundi illécebras, et fluxas carnis voluptátes ea morum severitáte coércuit, ut virginitátem quoque perpétuam cólere, atque angélicam in terris vitam ágere proposúerit. Verum paréntum jussis, qui illam in matrimónium despónderant, obtemperáre coácta, illud a cæléstis sponso, qui páscitur inter lília, précibus efflagitávit, ut quem suscíperet virum, virginitátis suæ custódem inveníret. Henríco ítaque Baváriæ duci, cognoménto Pio, póstea Romanórum imperatóri, in matrimónium trádita, raro exémplo virginitátem ipso annuénte illibátam servávit: in cujus testimónium, cum aliquándo, instigánte humáni géneris hoste, suspício quædam contra ipsam fuísset exórta, nudis pédibus super ignítos vómeres incédens illæsa, egrégium suæ innocéntiæ præbuit arguméntum, quod sanctus ipse Henrícus suprémo mortis témpori appropínquans, abundántius declarávit; accítis namque impérii procéribus, aliísque princípibus viris, ac sanctæ Vírginis consanguíneis: qualem mihi, inquit, eam assignástis, talem reddo: vírginem dedístis, vírginem reddo.

℟. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

Lectio v.

Singulári erga ecclésias pietáte prædita, sanctum Henrícum cónjugem suum ad eas construéndas et locupletándas exhortatiónibus incitávit, ópibus adjúvit. Bambergénsem ítaque episcopátum própriis facultátibus fundátum, beáto Petro Apostolórum Príncipi, Romanǽque Ecclésiæ vectigálem fecérunt, plúribus áliis templis et cœnóbiis cæsaréa plane munificéntia locupletátis. Cum pene ómnia, quæ habébat in terris, Christi ecclésiis, ac paupéribus distribuísset, seípsam quoque defúncto viro in Jesu Christi obséquium impéndit, ac sancti Patris Benedícti régulam proféssa, et regnum mundi et omnem ornátum sǽculi ingénti ánimi demissióne contémnens, sanctum religiósæ vitæ propósitum usque ad mortem exactíssime custodívit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Jugi ítaque virtútum exercítio, cum annos quíndecim in cœnóbio bonórum óperum méritis cumuláta transegísset, ad cæléstis Agni núptias, quas único optáverat, invitáta sancto fine quiévit. Fámulæ suæ sanctitátem Deus íllico póstmodum crebris miráculis demonstrávit; nam ad ejus túmulum cæci visum, claudi gressum, surdi audítum, muti loquélam, aliísque multis ac diutúrnis affécti languóribus salútem retulérunt; sed illud inprímis nóbile, quod pulvis de sepúlchro ejus assúmptus sæpe in fruméntum convérti repértus sit. Quibus rite probátis, ab Innocéntio tértio Pontífice Máximo sanctárum vírginum número est adscrípta.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi.

In Quadrages. ix. Lectio Homilia de Feria, cujus Commem. fit in Laud.

Die 6. Martii.

S. Fridolini Conf.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui perfécte coram te ambulántibus protéctor es et merces magna nimis: da nobis beáti Fridolíni Abbátis intercessióne et exémplo temporália despícere, et ad te tota mentis intentióne festináre. Per Dóminum nostrum.

In Quadrag. Commem. Feriæ.

In Quadragesima Lectiones I. Noct. Beátus vir. de Communi Confessoris non Pontificis 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Fridolínus, in Hibérnia nóbili génere ortus, jam a juventúte sciéntia ac pietáte elúxit. Sacerdótio insignítus et máxime egrégiis ánimi dótibus prǽditus, verbum Dei cum tanta eloquéntia et cum tanto ómnium appláusu prædicábat, ut præcípuis honóribus propter suam artis oratóriæ perítiam afficerétur. Ast celebritátem humilitáti postpónens, divítias et omnem sǽculi pompam spernens, opes patérnas inter cognátos, páuperes et ecclésias divísit, sicque sponte pauper factus, pátriam relíquit et in Gálliam sese cóntulit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Ibi váriis in locis cum ingénti zelo verbum Dei annuntiándo, multos in virtúte firmávit, multos ad pœniténtiam vocávit, plúrimos ad veri Dei notítiam et cultum perdúxit. Tandem in Pictávii subúrbiis cónstitit, ubi monastérii sancti Hilárii eléctus fuit Abbas. In rudéribus ecclésiæ suæ ossa magni Hilárii detéxit, éaque in ecclésia, quam delápsam una cum monastério instaurávit, honorífice recóndidit.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

Caritátis igne consúmptus Pictávium relíquit, plures Gálliæ províncias lustrávit, quasi tuba exáltans vocem suam, verbi Dei indeféssus præco. Vária in váriis locis templa et monastéria struxit. In Alsátia quoque et ípsamet civitáte Argentína, quam máxime Dei glóriæ et animárum salúti operátus fídei propagátor, demum in Séckingen, Rheni ínsula prope Basiléam, in fínibus Suéviæ, consédit, ubi in honórem sancti Hilárii templum et duplex monastérium, álterum pro mónachis et álterum pro moniálibus, constítuit, ea sapientíssime rexit, et ibi circa annum quingentésimum trigésimum octávum post Christum natum sanctíssime in Dómino obdormívit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus; et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia et secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Can. 20.

Apóstoli dictis Dómini hæc reddunt: reliquísse se ómnia et cum ipso esse. Quibus Dóminus, cum séderit in majestátis suæ sede, sessúros super sedes duódecim ac tótidem tribus Israël judicatúros spopóndit, omnibúsque qui univérsa relíquerint propter nomen ejus, fructum céntupli prǽmii reservátum, multos autem ex novíssimis primos futúros et ex primis futúros novíssimos. Multa sunt, quæ non sinunt nos símplici intelléctu dicta evangélica suscípere.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Lectio viii.

Interpósitis nonnúllis rebus, quæ ex natúra humáni sensus sibi contrá-

ria sunt, ratiónem quærere cæléstis intelligéntiæ admonémur. Apóstoli dicunt et sequi se Christum, et se ómnia reliquísse. Quómodo ígitur fiunt tristes, et quómodo métuunt, dicéntes salvum esse néminem posse? Námque et ab áliis fíeri póterat, si quid fecíssent ipsi. Deínde cum fecíssent, quare metus, vel unde suscéptus est? Additur étiam in responsióne Dómini, hæc apud hómines impossibília, possibília apud Deum. Numquid apud hómines impossibília erant, quæ et Apóstoli se fecísse gloriántur, et fecísse eos Dóminus agnóscit?

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Omnis ítaque hic sermo est spirituális. Quid autem Dei virtúti tam possíbile est, quam ut per fidem salvet, ut per eam regéneret, ut per crucem vincat, ut per Evangélia adóptet, ut resurrectiónem ex morte vivíficet? Quibus audítis Apóstoli cito credunt, seséque ómnia reliquísse profiténtur. Sed hanc eórum obediéntiam cito Dóminus remunerátur, omnem difficultátem superióris quæstiónis absólvens, cum dicit: Vos, qui secúti estis me, in regeneratióne judicábitis duódecim tribus Israël. Hæc enim illa regenerátio est, quam Apóstoli sunt secúti, quam lex indulgére non pótuit, quæ eos super duódecim thronos in judicándis duódecim tríbubus Israël duódecim patriarchárum glória copulávit.

Te Deum laudámus.

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriæ occurr. in Laud.

Vesp. a Capit. de sequ. cum Commem. præced. et Feriæ in Quadrag.

Die 15. Martii.

S. Clementis Mariæ Hofbauer Conf.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui beátum Cleméntem Maríam miro fídei róbore et invíctæ constántiæ virtúte decorásti: ejus méritis et exémplis fac nos, quǽsumus, ita fortes in fide et caritáte fervéntes; ut prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Feriæ in Quadrag.

In Quadrag. Lect. I. Noct. Beátus vir. de Communi Conf. non Pont. 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Clemens María Hófbauer Tassovítii in Morávia natus, a prima ætáte in schola christiánæ perfectiónis erudítus est; magístra potíssimum religiosíssima matre, quæ puérulum post patris óbitum, osténsa Christi Dómini e cruce pendéntis imágine, sic allocúta fertur: En fili, qui hinc in pósterum tibi futúrus est pater, cura ut per eam, quæ ipsi placet, viam incédas. Adoléscens pistóriam artem dídicit; sed ad majóra se vocári præséntiens cœpit inter laboriósæ artis exercítium ad stúdium incúmbere litterárum. Bis Romam pedes ad límina Apostolórum peregrinátus est, bis étiam rerum cæléstium contemplatióni libérius vacatúrus in erémum secéssit. Verum Deo illum ad altióra vocánte, intermíssa litterárum stúdia in Vindobonénsi Universitáte repétiit navitérque prosecútus est; donec ex punióre fonte sacras disciplínas haustúrus Romam tértium remigrávit. Ibi in sancti Alfónsi famíliam singulári Dei providéntia cooptátus est, quam ipsíus ópera in díssitas regiónes propagátum iri sanctus idem Parens divíno instínctu præsénsit ac palam prænuntiávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Absolúto cum magno spíritus fervóre tirocínio ac présbyter factus, in septentrionáles Európæ províncias a Sede Apostólica missus est. Erécto Var-

sáviæ in Polónia primo suæ Congregatiónis domicílio, et plúribus sibi adjúnctis sóciis, incredíbile est, quam copióso ibi fructu sacerdotália múnera ultra vicénnium expléverit; nihil labóris recúsans, sive ut cathólicos ad bonos mores et pietátis cultum revocáret, sive ut hæréticos et Judǽos ad veram fidem addúceret. Multa étiam ad religiósam juventútis institutiónem præstitit. Orphanórum sortem miserátus eréxit hospítium, ubi misérrimos quosque patérna caritáte alébat; visus subínde stipem eórum causa emendicáre, imo nec fáciem ab increpántibus et in se conspuéntibus avértere. Inter has autem curas semper coram Deo ámbulans, Deíparæ Vírgini, cujus Rosárium assídue recitábat, singuláriter devótus, rectus, simplex, húmilis, cunctis affábilis et benígnus, ómnibus velut sanctitátis exémplar júgiter prælúxit.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

Deo soli confísus, plures institúti sui domus váriis in regiónibus eréxit. Ipse vero multas ob témporum iniquitátem acerbitátes perpéssus, et e Polónia tandem cum suis expúlsus, secéssit Vindobónam, ubi duódecim postrémis vitæ annis ad Dei glóriam strénue operári perseverávit. Præter sédulam enim Sanctimoniálium Vírginum curam totus in eo fuit, ut prædicatióne verbi Dei, sacraménti Pœniténtiæ administratióne quam plúrimas a salúte dévias ánimas Christo lucrifáceret. Quem caritátis ignem tum sacerdótibus, tum máxime seléctæ júvenum cohórti, quorum complúres suum Congregatióni nomen dedérunt, infúndere adlaborávit. Illud autem indeféssa sua ópera consecútus est, ut languescéntem pópuli fidem cathólicúmque spíritum, non parum illa ætáte imminútum, corroboráret; talíque succéssu étiam in Archidiœcési Friburgénsi, in paróchiis Triberg et Jestétten laborávit; dignus proptérea, quem Pius séptimus virum apostólicum, Vindobonénsis cleri decus Ecclesiǽque cólumen appelláret. Méritis tandem plenus et prodigiórum aliorúmque cæléstium charísmatum múnere illústris, septuagenárius obdormívit in Dómino, Idibus Mártiis, anno millésimo octingentésimo vigésimo. Eum Leo décimus tértius miráculis clarum Beatórum catálogo, Pius vero décimus novis fulgéntem signis Sanctórum fastis accénsuit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus; et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno Lectiones de Homilia in Evang. Nolíte timére. de Communi Conf. non Pont. 2. loco.

ix. Lectio Homilia in Evangel. Feriæ, cujus Commem. fit in Laud.

Die 22. Martii.

Beati Nicolai de Flue Confessoris.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui beátum Nicoláum Eremítam Angelórum esca mirabíliter nutríre, ac donis cœléstibus cumuláre voluísti: concéde quǽsumus; ut ejus intercessióne Domínicum Corpus et Sánguinem digne súmere in terris, et gloriósum conspícere valeámus in cælis. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Feriæ in Quadrag.

In I. Nocturno Lectiones Justus si morte. de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Nicoláus de Flue Helvétius, in Sachslénsi Cantónis Subsylvániæ pago, Constantiénsis diœcésis, honéstis paréntibus procreátus, quanta sanctitáte et miráculis orbem illustratúrus esset, adhuc in angústo Matris útero indicávit, dum latum cælum suis lumínibus distínctum vidit, stellámque unam præ céteris ita coruscán-

tem, ut rádii per totum mundum se diffúnderent. Vix natus, pari prodígio matrem atque obstetrícem, deínde patrínos ac álios Baptísmo suo assisténtes agnóvit. Pueritíam exímia morum innocéntia, et sine ulla mendácii labe exégit. Adoléscens terna sibi per hebdómadam jejúnia ad sanctórum Nicolái Myrénsis et Tolentinátis imitatiónem indíxit. Rebus porro divínis contemplándis diu noctúque sic erat inténtus, ut ad solitúdinem ardentíssime aspiráret. Obstántibus vero paréntum et cognatórum votis cessit invítus, dum ad cælibem vitam sanctórum exémplo raptus, matrimónio se alligávit; e quo fílios quinque totidémque fílias procreávit. Inde milítiam aliquámdiu secútus, innátam pietátem numquam deséruit. Cumque ex ea redíret, suprémum pátriæ magistrátum sæpius oblátum constánter réspuit, et præcípue, dum luce divína prævéntus, ex corrúpto júdicum ore sulphúreas erúmpere flammas vidéret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Cum ínterim Deus non desíneret illíus pectus altióris vitæ desidériis succéndere, bona dénique cónjugis vénia, relíctis ómnibus in vicínam erémum secéssit: ubi prope vigínti annos inusitáta vitæ austeritáte tradúxit; priscórum Anachoretárum mirácula et virtútes ita ad vivum éxprimens, ut ejus sanctitátis fama longe latéque excíti pópuli, ad eum velut ad natúræ humánæ porténtum sæpe conflúxerint. Eísdem annis sine corporáli cibo potúque vitam egit, solo sanctíssimo Christi Córpore, quot ménsibus saltem semel, reféctus. Cujus inédiæ numquam visæ, Constantiénsi Pro-Epíscopo mirábile experiméntum fecit; dum ab eódem virtúte obediéntiæ coáctus vir Dei panis

fragméntum et vini guttam súmere, tam ægre deglútiit, ut iis præ ingénti dolóre statim rejéctis, ánimam effláre viderétur. Inter hæc assíduo virtútum stúdio, et perpétua Domínicæ Passiónis meditatióne dæmonum furórem in se vehementíssime concitávit: illos tamen fugátos a beatíssima Dei Matre, quam sine labe originális concéptam præcípue venerabátur, non raro fassus est. Has inter pugnas et victórias multis cæléstibus visiónibus recreátus est. Illústrior illa fuit, quando sanctíssima Trínitas in rotæ fulgéntis spécie sese ei objécit, et tanta divinórum radiórum arcanǽque sapiéntiæ cópia in eum est profúsa, ut in vultu ipsíus insólitus splendor usque ad mortem hæréret: ostentúmque illud delineári curátum pro libro suo habéret, ex quo sine álio litterárum adjuménto cuncta perdísceret.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

Dei ígitur magistério sédulo usus, caritátem próximi summæ contemplatióni conjúnxit; nam accedéntes ad se populáres máxime suos, multis salutáribus mónitis erudívit, potíssimum eos exhórtans ad sanctæ Sedis Apostólicæ et cleri observántiam, fídei Románæ integritátem, constantiámque mútui amóris, ac demum ad dignos fructus pœniténtiæ, quam vultu et córpore prorsus emaciáto, rudi ínsuper túnica, et nudo semper cápite et pédibus, efficacíssime prædicábat. Prophetíæ dono emínuit: futúra et occúltas hóminum cogitatiónes sæpenúmero perspéxit. Sarnam, præcípuum Silvæ Superióris pagum, gravi incéndio conflagrántem crucis signo íllico exémit. Demum anno post Christum natum octogésimo séptimo supra millésimum quadringentésimum, octiduáno morbo gravíssime cruciátus, ut pridem divínitus edóctus erat, in ásse-

rem, quo toto erémi témpore pro léctulo utebátur, corpus suum proténdit, et inter divínas laudes vitam angélicam placidíssime claudens, spíritum Deo réddidit, vigésimo primo Mártii, die ipso festo sancti Benedícti, natalítio suo ac septuagésimo ætátis anno. Sacrum corpus in Sachslénsi paróchia cónditum, magno Helvetiórum et exterórum accúrsu cólitur: quod étiam cum sanctus Cárolus Borroméus invíseret, Nicoláum exímium sanctum esse pronuntiávit. Ad ejus sepúlchrum claudus, qui Compostéllæ pedis incolumitátem a sancto Jacóbo exoráre non pótuit, recépit. Infans autem, a dormiéntibus oppréssus et pénitus suffocátus, ejus méritis revíxit. Miráculis in vita et post mortem clarum Clemens nonus Offício et Missa decorávit in ecclésia, ubi corpus ejus requiéscit. Clemens vero décimus eam grátiam ad totam Helvétiam atque Constantiénsem diœcésim exténdit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus; et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Ecce nos. de Communi Abbatum.

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriæ, cujus Commem. fit in Laudibus.

FESTA APRILIS.

Die 19. Aprilis.

S. Leonis IX. Papæ, Confessoris.

Duplex.

Oratio.

Da, quæsumus omnípotens Deus: ut beáti Leónis Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Leo hujus nóminis nonus, ex nóbili Francórum prosápia oriúndus, Dagsburgénsis comes ac Tullénsis epíscopus, Bruno ántea dictus, ómnium Cardinálium suffrágiis ac commúni fidélium gratulatióne, ad sanctíssimam Petri sedem evéctus est, et in ea sedit annis quinque, duóbus ménsibus, diébus octo. Vir omni virtútum génere et sacra doctrína exímius, ut Apostólicum hoc munus impléret, nullis labóribus, nullis súmptibus, nullis incómmodis pepércit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Germániam et Itáliam sæpius, Gálliam semel visitávit. Hábuit novem concília, Rhemis, Mogúntiæ, Vercéllis, Papíæ, Romæ ad restaurándos Christianórum mores. Multas lítteras ad imperatóres, reges, patriárchas, epíscopos zelo ac pietáte flagrántes scripsit. Legátos ad imperatórem Constantinopolitánum pro reductióne Græcórum semel atque íterum misit. Berengárium hæréticum semel iterúmque damnávit, et Michaélem Cerulárium patriárcham insígnem schismáticum anathémate pérculit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Dum Romæ ágeret, ter in hebdómada a sacrosáncta ecclésia Lateranénsi ad Vaticánam nudis pédibus, noctu orans et psallens pergébat. Príncipi Apostolórum décimam oblatiónum partem, sibi de more competéntem, pontifício diplómate cessit. Patrimónium suum próprium in erectiónem monastérii impéndit: unde étiam quotánnis pecúnia submitterétur in sumptus rosæ áureæ, quam Románi Pontífices antíquo et solémni ritu benedícunt. In páuperes et peregrínos effúsam liberalitátem exércuit. Sub leprósi forma et hábitu Christum aliquándo próprio lecto excépit. Dénique multis pro

Ecclésia labóribus exantlátis, óbiit die décima nona Aprílis, anno millésimo quinquagésimo quarto, ante et post mortem multis miráculis clarus, ac sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Homo péregre. de eodem Communi 1. loco.

Die 20. Aprilis.

(Dies fixa ex 27. Aprilis.)

Beati Petri Canisii Confessoris S. J.

Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die 27. Aprilis. Commemor. S. Leonis IX. Papæ Conf. in Vesp.

Die 23. Aprilis.

S. Georgii Martyris.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Geórgii Mártyris tui méritis et intercessióne lætíficas: concéde propítius; ut qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum nostrum.

Commem. Ss. Soteris et Caji PP., Mm.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Geórgius nobílibus paréntibus in Cappadócia natus, sancte ab illis et religióse educátus est. Iis vita functis, adhuc adoléscens tribúnus mílitum factus, et áliis insignítus honóribus, sub Diocletiáno Cǽsare militávit. Verum cum edíctis imperiálibus persecutiónem in christiános cérneret ácrius desævíre, id indígne ferens, opportúnum quoque fore illud tempus exístimans ad salútem et ad martýrii glóriam, facultátibus suis in páuperes erogátis servísque libertáte donátis, zelo fídei ac religiónis accénsus, imperatórem adit Christúmque verum Deum líbere conféssus, ipsum de sua ímpia in christiános crudelitáte constánter accúsat.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúja, allelúja. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exsultatiónem obtinébunt. Et ætérnitas.

Lectio v.

Admirátus veheménter imperátor, quod Geórgius præter omnem opiniónem christiánus esset, primo blandis illum verbis ac magnis pollicitatiónibus, deínde minis pœnarúmque terróribus a fídei senténtia conátur avértere. Sed cum nihil profíceret, nec ullo modo viri constántiam posset de pio et sancto propósito dimovére, jubet ipsum primo in cárcerem trudi ibíque diu afflígi: tum verbéribus cæsum, rota mucrónibus obarmáta laniári, deínde torréri sartágine variéque torquéri. Quam ille tormentórum vim ubi álacri ac forti ánimo tulísset, índeque incólumis mirabíliter evasísset, plúrimos suo exémplo ad fídei constántiam excitávit.

℟. In servis suis, allelúja * Consolábitur Deus, allelúja. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. Consolábitur.

Lectio vi.

Impius autem persecútor, cum exímiam hujúsmodi Mártyris fortitúdinem non divínæ virtúti, sed mágicis ártibus adscríberet, ipsum várie tortum atque in senténtia nihilóminus persisténtem, secúri pércuti jubet. Geórgius ígitur fórtiter data cervíce, martýrii coróna decorátus est Nono Kaléndas Maji, anno salútis humánæ ducentésimo nonagésimo. Córporis ejus relíquiæ divérsas in regiónes delátæ, máximo ab íncolis habéntur honóre. Caput Romæ in Diaconía sancti Geórgii ad Velábrum honorífice asservátur; et ipsíus Mártyris nomen non solum in Oriénte, ubi passus est, sed et in occíduis oris ubíque claríssimum est. Antiquiórem inprímis intra Galliárum æque ac Germániæ fines nóminis ejus veneratiónem testántur tum cœnóbia multa, tum innúmeræ fere parochiáles ecclésiæ, quæ passim sub ejus invocatióne, plúribus

abhinc sæculis Deo dicátæ deprehendúntur.

℟. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus, * In die solemnitátis et lætítiæ, allelúja. ℣. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit fílios tuos in te. In die. Glória Patri. In die.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Ego sum vitis vera. de Communi Mart. temp. Paschali 1. loco.

Die 27. Aprilis.

S. Trudperti Martyris.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut intercedénte beáto Trudpérto Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum nostrum.

Commem. Ss. Cleti et Marcellini PP. Mm.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Trudpértus génere Scotus regiáque stirpe profectus, religiónis causa, Theodóro post Joánnem hoc nómine quartum Pontífice Máximo, Romam divíno amóre incénsus se cóntulit, ubi ómnia urbis loca sanctitáte conspícua circúmiens, flagrantíssimo pietátis afféctu venerabátur. Inde in pátriam rédiens, quam vitæ suæ ratiónem institúeret, eo in itínere sério cogitáre cœpit. Et vero magni illíus Patriárchæ Abrahæ exémplum sequi decérnens, ómnibus hujus sæculi divítiis, propínquis patrióque solo ob Christi amórem relíctis, in solitárium quemdam Brisgójæ locum contemplatióni aptíssimum, impetráta ab Othbérto Habsburgénsis famíliæ, dómino loci, licéntia habitándi, se recépit; ubi in hunc usque diem monastérium ejus nómine insignítum invísitur.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúja, allelúja. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exsultatiónem obtinébunt. Et.

Lectio v.

Othbérto, a quo prædíctum locum dono accéperat, ob ejus singuláres virtútes carus mirum in modum fuit, quinímo auxíliis opibúsque ejus adjútus, monastérium ibídem constrúxit. Tanta autem humilitáte prædítus dícitur, ut iis, qui in ædifício construéndo óperam dabant, ministráre non erubúerit. Oratióni instánter vacábat, castitátem perpétuo cóluit, jejúniis vigilíisque corpus maceráre non desistébat, mentem divínis contemplatiónibus assídue exércuit. Hoc præter cétera hábuit, ut Dei amóre repléri vehementíssime sitíret. Ecclésiam prætérea suis mánibus ac labóribus magnis ædificáre aggréssus ópere formáque notábili perfécit, quam sanctórum Apostolórum Petri et Pauli nómine Martínus Constantiénsis epíscopus solémni ritu consecrávit.

℟. In servis suis, allelúja, * Consolábitur Deus, allelúja. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. Consolábitur.

Lectio vi.

Quibus rebus felíciter conféctis, humáni géneris hostis sanctíssimum virum Trudpértum, insígnem Christi mílitem, frequéntius more suo ex insídiis aggréssus, váriis tentatiónibus oppugnábat; quas ille jejúnio et oratióne superábat, hisce pietátis armis invíctus. Advértens vero dæmon se in eo vincéndo óperam pérdere, tímuit ne, si diu víveret hic Christi athléta, majóres de ipso quotídie reportáret triúmphos; ídeo immísit in quorúmdam hóminum scelestórum ánimos ejus interiméndi consílium, quo indúcti innocentíssimum virum per insídias interfecérunt sexto Kaléndas Maji, anno post Christum natum sexcentésimo quadragésimo tértio. Ejus corpus Othbértus honorífice (ut sanctum Mártyrem decébat) sepeliéndum curávit. Anno autem septingentésimo septuagésimo, cum ejus sanctíssimam vitam ac mirácula, quæ cooperánte Dómino et ante et post martýrium multa édidit, diligénter Stéphanus tértius Póntifex Máximus cognovísset, solémni ritu illum in sanctórum Mártyrum númerum rétulit.

martyr occúbuit: præsta quǽsumus; ut ipsíus exémplo ánimas nostras in patiéntia possidéntes, coronári cum ipso mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

In Feriis Quatuor Temporum, Lectiones I. Nocturni sumuntur e Communi plurimorum Martyrum: Fratres: Debitóres sumus. Responsoria vero de Communi unius Martyris.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Landelínus, claris in Hibérnia paréntibus natus, vitæ sanctióris desidério inítio sǽculi séptimi e pátria sponte discéssit, ut manéret in solitúdine. Peragrátis provínciis multis, in Ortenávia, incúlta tum et ínvia ac latrocíniis multis dumtáxat famósa, súbstitit, ubi prope rívulum, cui Undízio nomen est, tugúrium sibi constrúxit, in quo oratióni ac rerum divinárum contemplatióni vacans innócuam tranquillámque degit vitam.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v.

In hac erémo Landelínus juxta Apóstoli verba, quæ sursum sunt sapiébat, non quæ super terram: mórtuus enim erat, et vita illíus abscóndita cum Christo in Deo. Pax hæc brevi turbáta fuit: síquidem beátus solitárius a quodam venatóre feras fortuíto persequénte detéctus fuit, qui sub vili hábitu latrónem delitéscere suspícans, convítiis primo sanctum óbruit. Postrémo nec précibus nec frontis modéstia, aut ánimi patiéntia viri Dei commótus, homo ferox furóre pércitus eúmdem pro inimíco deprecántem ímpia manu trucidávit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine: * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio vi.

Pretiósa in conspéctu Dómini mors mártyris ubi primum pópulis circumjacéntibus innótuit, pii fidéles ejus corpus reverénter terræ mandárunt. Sepúlchrum vero ejus tanta cœpit frequentári devotióne, ut Widegérnus Argentinénsis epíscopus inítio sǽculi octávi ibídem ecclésiam fundáverit et cellam monachórum instituérit, quæ póstea ab Ettóne ejus successóre cum relíquiis beáti Landelíni ex antíquo loco in propínquum transláta, multum aucta, latis dotáta prǽdiis et ex ipsíus nómine monastérium Ettoniánum dicta est. In loco autem, ubi sanctus occubuísse asseverátur, limpidíssimi manant fontes, curándis morbis público testimónio máxime salutáres.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 16.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 96. de Script.

Prima hóminis perdítio fuit amor sui: si enim se non amáret et Deum sibi præpóneret, Deo esse semper súbditus vellet; non autem converterétur ad negligéndam voluntátem illíus et ad faciéndam voluntátem suam. Hoc est enim amáre se, velle fácere voluntátem suam. Præpóne his voluntátem Dei: disce amáre te, non amándo te. Quid est: neget se? non præsúmat de se, séntiat se hóminem et respíciat dictum prophéticum: Maledíctus omnis, qui spem suam ponit in hómine. Subdúcat se sibi, sed non deórsum versus: subdúcat se sibi, ut hǽreat Deo. Quidquid boni habet, illi tríbuat, a

quo factus est: quidquid mali habet, ipse sibi fecit. Deus, quod in illo malum est, non fecit. Perdat quod fecit, qui inde defécit.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viii.

Quid est: tollat crucem suam? Ferat quidquid moléstum est; sic me sequátur. Cum enim cœperit me móribus et præcéptis meis sequi, multos habébit contradictóres, multos habébit prohibitóres, multos habébit dissuasóres, et hoc de ipsis quasi comítibus Christi: cum Christo ambulábant, qui cæcos clamáre prohibébant. Sive ergo minas, sive blandiménta, sive quáslibet prohibitiónes, si sequi vis, in crucem verte, tólera, porta; noli succúmbere. Vidéntur his verbis Dómini exhortáta martýria; si persecútio est, nonne pro Christo debent cuncta contémni? Amátur mundus; sed præponátur a quo factus est mundus. Magnus est mundus; sed major est a quo factus est mundus. Pulcher est mundus; sed púlchrior est a quo factus est mundus. Blandus est mundus; sed suávior est a quo factus est mundus. Malus est mundus; et bonus est a quo factus est mundus.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix. de Ss. Martyribus Mauritio et Soc. et Commem. eorum in Laud.

In Quat. vero Tempor. Lectio ix. de Homilia Feriæ curr.

Die 24. Septembris.

Pro Civitate Friburgensi.

In Octava
Ss. Lamberti Episcopi et Alexandri Martyrum, Patron. Civit. Friburg.

Duplex majus.

Omnia ut in Festo, præter sequentia.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno Lectiones: Sermo S. Joánnis Chrysóstomi: Nemo est, qui nésciat. ut in Communi plurimor. Mart. 2. loco.

Festum B. Mariæ V. de Mercede, ab universa Ecclesia hac die celebrandum, in Civitate Friburgensi die 3. Octobris, qua die fixa, celebratur.

Die 28. Septembris.

S. Liobæ Virginis.

Duplex.

Oratio.

Exáudi nos, Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ Líobæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Ss. Cosmæ et Damiani Martyrum.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Líoba, sancti Bonifácii Epíscopi et Mártyris Germanórum Apóstoli consanguínea, in Anglia paréntibus ætáte jam provéctis nata, Tettæ insígnis sanctimóniæ vírgini educánda ac divínis stúdiis imbuénda tráditur. Eo témpore, quo cæléstis vitæ stúdiis Líoba in monastério Winburnénsi in Anglia flóruit, sanctus Bonifácius, in Germánia fidem Christi felicíssimo cum evéntu prædicans, legátos cum epístolis diréxit in pátriam ad Tettam Abbatíssam déprecans, ut ad auxílium legatiónis a sede apostólica sibi injúnctæ, transmítteret hanc Líobam vírginem, fama sanctitátis, doctrínæ et virtútum per longínqua terrárum spátia celebrátam; quam cum advenísset, vir Dei summa cum veneratióne suscépit, ac spiritálem vírginum matrem esse decrévit; quaprópter illam monastérii in loco, qui vocátur Episcópium ad Túberam, a se erécti Abbatíssam constítuit, ubi non parvus ancillárum Dei númerus colléctus est, quæ ad exémplar beátæ magístræ cæléstis disciplínæ stúdiis instituebántur.

℟. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v.

Erat Líoba magnárum virtútum fémina, quæ omni fervóre conténdit, ut semetípsam Deo irreprehensíbilem exhibéret, et cunctis sibi obtemperántibus in verbo et conversatióne forma salútis exsísteret. Omnibus sine personárum acceptióne se affábilem ac benévolam exhíbuit. Erat aspéctu angélica, sermóne jucúnda, ingénio clara, consílio próvida, spe patientíssima, caritáte profúsa. Et cum lætam semper fáciem præférret, numquam hilaritáte nímia resolúta est in risum. Cibos autem et potum, cum áliis summa humanitáte exhibéret, ipsa parcíssime sumpsit. Lectióni sacræ tanta diligéntia incúbuit, ut nisi oratióni vacáret, aut aliménto vel somno corpúsculum refíceret, numquam divína página de mánibus ejus abscéderet. Plúribus miráculis Dóminus ancíllæ suæ sanctitátem vóluit esse testátam; nam moniális vírginis diri críminis accusátæ innocéntiam sancta Líoba prodigióse manifestári a Deo ímpetrat, exstínguit incéndium, sedat tempestátem invocatióne sanctíssimæ Dei Genitrícis, cœnóbii sui mónacham hæmorrhoidáli morbo laborántem et morti jam próximam sanat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Beáta autem virgo Líoba non terram hereditáre cúpiens sed cælum, ad finem christiánæ perfectiónis ferventíssime tendébat. Quare disseminabátur de ea semper et ubíque fama laudábilis, et odóre sanctitátis ac sapiéntiæ cunctórum in se traxit amórem. Erat enim ómnibus, qui eam nóverant, et ipsis quoque régibus honorábilis. Nam Pipínus rex Francórum et fílii ejus omni eam veneratióne coluérunt; ac præcípue Cárolus, qui religiósam Dei vírginem ad se frequénter invitátam magna cum reveréntia suscépit et dignis munéribus honorávit. Sic et regína Hildegárdis puro eam venerabátur affèctu voluítque, ut assídue secum manéret; sed Líoba ut venéni póculum palatínum detestabátur tumúltum. Et quia erat in Scriptúris eruditíssima atque in consílio prudentíssima, nonnúmquam et ipsi Epíscopi verbum vitæ cum ea conferébant et institúta ecclesiástica sæpe tractábant. Tandem beáta Líoba, cum plúrimas ánimas sanctitátis suæ exémplis Dómino lucráta in omni ferme Germánia signórum glória et doctrínæ fama coruscáret, accépto Córporis et Sánguinis Christi viático, in pace quiévit quarto Kaléndas Octóbris, anno salútis septingentésimo septuagésimo nono. Corpus vero illíus honorífice ad Fuldénse cœnóbium translátum, in Ecclésia sancti Epíscopi et Mártyris Bonifácii dignis cum láudibus tumulátum, ibídem miráculis cláruit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In III. Nocturno Lectiones de Homilia in Evangel. Símile erit. ut in Communi Virg. 1. loco.

FESTA OCTOBRIS.

Die 2. Octobris.

S. Amandi Episc. Wormatiensis, Confessoris.

Duplex.

Oratio.

Deus, quem amáre vívere, cui servíre regnáre est: te supplíciter exorámus; ut méritis et précibus gloriósi Pontíficis Amándi in tua caritáte júgiter proficiéntes, ab ejus integritáte numquam avellámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. S. Wenceslai Mart.

Deinde S. Leodegarii Episc., Mart.

Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Leodegárii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Amándus, ejus nóminis secúndus ecclésiæ Wormatiénsis epíscopus, Aquitániæ ducis Seréni et Amántiæ ejus cónjugis fílius, a primæva adolescéntia sǽculi delíciis ac honóribus spretis et natáli solo relícto, ubi ad superióris Rheni tractum pervénit, monastérium in Augiæ ínsula prope civitátem Constantiénsem órdinis sancti Benedícti ingréssus, post absolútum reguláris vitæ tirocínium aliquámdiu ibídem súbstitit. Ad majóra autem cǽlitus vocátus, bona cum abbátis et fratrum vénia in pátriam remeávit, et Biturígibus in cella sancti Austregísili et Sulpítii quíndecim annis in mira austeritáte transáctis, Romam proféctus Apostolórum límina devóte salutávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Ibídem a sancto Petro admónitus, postquam in Gálliam rédiit regíque viri sánctitas innótuit, ut a sancto Aichário Noviogménsi epíscopo pontificáli charactére insigniréтur, effécit. Per hoc tamen ab Amándo rex ille obtinére haud pótuit, ut carnálibus ejus desidériis sese non oppóneret, et injústum Dagobérti cum cónjuge legítima divórtium, nec non sacrílegam cum duábus Deo dicátis féminis cohabitatiónem non redargúeret; quin pótius aula exíre et regis conspéctum declináre, quam Dei grátia excídere máluit. Rex tamen a Pipíno mónitus brevi sanctum prǽsulem revocávit: cujus liberalitáte frúitus plura per Flándriam, a se per evangélium Christo génitam províncíam, monastéria excitávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Postquam vero Slavórum gens fínibus suis egréssa confínia Germániæ populáre cœpísset, et Dagobértus armis suis eam ultra Albim fórtiter repulísset, Amándus regem secútus ad barbarórum conversiónem ansam hanc arrípere vóluit; animadvértens autem se parum apud illos profícere, ad Rheni partes, quas Vangiónes íncolunt, una cum Dagobérto pervénit, et Wormatiénsis ecclésiæ curam ad regis instántiam suscépit. Dagobértus in grátiam Amándi erga dictam ecclésiam sese liberalíssimum exhíbuit, eíque inter ália plura dona étiam óppidum Ladenburgénse cum annéxis villis et pagis donávit. Unde et ceu alter ecclésiæ Wormatiénsis fundátor celebrátur. Amándi autem sanctíssimi prǽsulis ne umquam interíret apud Wormatiénses memória, sub ejus honóre et nómine in subúrbio ante plura sǽcula parochiális cóndita est ecclésia, quæ témporum hominúmque injúria multum passa, sed tamen ab hǽresis inquinaménto invioláta permánsit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III. Nocturno Lectiones de Homilia S. Hilarii Episcopi in Evang. Vigiláte quia nescítis. ut in Communi Conf. Pont.

Pro S. Leodegario.

Lectio ix.

Leodegárius, ex régia Francórum orígine procreátus, a Didóne Pictaviénsi epíscopo avúnculo suo sacris lítteris institútus, ejúsdem ecclésiæ Archidiáconus constitúitur. Deínde Clotário regi multum familiáris, propter exímias virtú-

tes Augustodunénsis antístes factus, mire illustrávit ecclésiam. Cum vero a secretióribus consíliis Childeríco, fratri et successóri Clotárii, adhiberétur, ita in eum exársit invídia prócerum, ut disseminátis inter utrúmque váriis inimicítiis rex ipsi mortem nefárie strúeret; quare in Luxoviénse monastérium se recépit. Defúncto vero Childeríco, a Theodoríco ejus fratre cáthedræ suæ regióque favóri íterum restitútus, æmuli magis concitáti sunt: ac præcípue Ebroínus ex aula régia relegátus, at póstea in grátiam recéptus, exístimans se Leodegárii ópera olim dignitáte privátum, váriis eum torméntis afflíxit. Post famem et cárceris squalórem, oculórum evulsiónem, plantárum concisiónem, linguæ et labiórum abscissiónem tandem cápite plecti jussit; cujus sanctitátem Deus multis testátam fecit miráculis.

Te Deum laudámus.

Et fit Commem. S. Leodegarii in Laudibus.

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Deus, qui nos beáti Leodegárii. ut supra. 26*

Die 14. Octobris.

S. Burcardi Episcopi, Confessoris

Duplex. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui ad veram propagándam fidem beátum Burcárdum Confessórem tuum atque Pontíficem apostólica virtúte roborásti: præsta quæsumus; ut quem fidélem salútis minístrum habúimus in terris, intercessórem habére mereámur gloriósum in cælis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. S. Eduardi Regis, Conf.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Burcárdus Anglórum génere nóbilis, sed virtúte et religióne nobílior, a téneris annis non obscúrum futúræ sanctitátis spécimen dedit. Nam ómnibus abjéctis, ut Christum expedítius sequerétur, sub reguláris disciplínæ jugo primæ ætátis innocéntiam a mundi illécebris custodívit. Exácta vero laudabíliter adolescéntia a sancto Bonifácio Archiepíscopo Germániæ Apóstolo ad prædicándum géntibus Evangélium assúmptus, apud Francónes verbi divíni semen a sancto Kiliáno sparsum, ejúsque ac sociórum sánguine irrigátum, per áliquot annos tanto animárum zelo et fructu excóluit, ut in Epíscopum Herbipolénsem a Zacharía Papa anno Christi septingentésimo quadragésimo primo ordinátus fúerit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

In episcopátu sollicitíssimus infidélium conversióni ea virtúte et efficácia incúbuit, ut ingéntem ipsórum multitúdinem ad Christi fidem perdúxerit, et catholicórum plúrimos ad sǽculi contémptum excitárit. Ex quibus Gumbértus, ópibus ac nobilitáte inter Francónes præcípuus, se ipsum et sua sancto Kiliáno óbtulit. Plúribus étiam intérfuit concíliis provinciálibus pro ecclesiásticæ disciplínæ reformatióne fideíque propagatióne celebrátis; bina quoque legatióne apud Summum Pontíficem est perfúnctus. Sancti Kiliáni et Sociórum Mártyrum córpora cæléstí admónitu honoríf ice elevávit, exstrúcto étiam in eórum honórem insígni monastério, cui áliud ad pedem montis Maríæ adjécit, eídem Deíparæ vírgini ac sancto Andréæ Apóstolo dedicátum.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vi.

Tandem diébus et méritis plenus Ecclésiam, quam sanctíssime réxerat multísque prædiis et

rédditibus áuxerat, exémplo sui magístri sancti Bonifácii resignávit; et inter lácrimas et suspíria pópuli, quem ad divínæ legis observántiam exhortári non cessábat, in castrum Hóhenburg cum paucis frátribus secéssit. Ubi réliquo vitæ cursu in vigíliis, jejúniis et oratiónibus piíssime consummáto, in lethálem morbum íncidit; a quo ad extréma perdúctus, post suscépta devotíssime Ecclésiæ Sacraménta ánimam Deo réddidit anno septingentésimo quinquagésimo quarto, cum illam quasi exíre cunctántem magna ipse fidúcia confirmásset, repetíto illo psalmo: Quare tristis es ánima mea? Quare contúrbas me? Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: salutáre vultus mei, et Deus meus. Corpus ejus Herbípolim delátum, et prope sepúlchrum Kiliáni et Sociórum Mártyrum primo recónditum, deínde ab Hugóne Epíscopo ad Ecclésiam ab eódem sancto exstrúctam et ab ejus nómine nuncupátam hac die translátum est.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Homo péregre profíciscens. de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Die 16. Octobris.

S. Galli Abbatis, Conf.

Duplex.

Oratio.

Intercéssio nos, quǽsumus Dómine, beáti Galli Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Teresiæ Virg.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Gallus Abbas nobílibus apud Scotos natálibus ortus, in Hibérnia in monastério Benchor adolescéntulus vitam páuperum cum elegísset, humilitáti et obediéntiæ perfectǽque subjectióni semper stúduit. Deínde vero cum non morum tantum, sed et ingénii laude ac sanctárum Scripturárum sciéntia usúque appríme floréret, sacérdos Dei unctus, prædicándi Evangélii causa abbátem Columbánum secútus in Británniam índeque Gálliam trajécit, ubi Sigebérti regis voluntáte Luxoviénsem solitúdinem dum incóleret, ad Christi fidem complúres, multos étiam ad monásticæ vitæ institúta permóvit. Sed cum regis Theodoríci concubinátum redargúere Columbánus abbas non desísteret, Brunichíldis regínæ instínctu Luxóvio pulsus, accépta a Theodebérto Austrasianórum rege potestáte, in Alemánnia ad lacum Turicínum primum, deínde vero apud Brigántium óppidum, reconciliáto sanctæ Aurélíæ templo, consédit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Verum quóniam Gallus idololatríæ scelus ubíque convellébat, fana ac simulácra dissipábat, gentílium ódia concitávit. Quibus étiam cedéndum ratus Columbánus, in Itáliam ipse ad Agilúlphum Longobardórum regem profectus, Gallum fébribus deténtum una cum Magnoáldo et Theodóro mónachis in Alemánnia relíquit. Gallus vero sexagésimum quintum círciter annum agens mox ut conváluit, erémum cum jam dictis discípulis ingréssus, triduáno eam jejúnio, oratiónibus ac lácrimis consecrávit, et monastérium cóndidit. In quo plures fratres monásticis disciplínis divinarúmque Scripturárum intelligéntia ímbuit, gentes circumpósitas Jesu Christi fidem sectári dócuit. Corpus suum inédia, frígore, cilício dénique et caténa castigávit, ita secréto ut de caténa ejus ǽrea cilicióve, quibus ad hujúsmodi exercítia utebátur, nec discípuli ejus, dum víveret, rescírent.

Fridibúrgam Alemánniæ ducis fíliam Sigebérti regis sponsam a sævíssimo dæmónio cum liberásset, ducis opulentíssima dona ómnia commínuit, et apud Arbónam in páuperes erogávit. Episcopátum Constantiénsem, Abbatíam Luxoviénsem suscípere recusávit. Columbánum in Itália vitæ múnere sanctíssime perfúnctum, per visiónem in Alemánnia præcognóvit.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

Dénique cum pópulos multos ab idolórum cultúra avocásset, ipsóque die sancti Michaélis Archángeli apud Arbónam post Missárum solémnia Evangélium prædicásset, febre in jam dicto óppido íterum corréptus, circa annum Dómini sexcentésimum quadragésimum sextum, Theodóri Papæ primi quartum, ætátis suæ anno nonagésimo quinto, die vero décimo séptimo ante Kaléndas Novémbris inter discipulórum manus exspirávit. Sed cum illic nullo modo potuísset humári, indomitórum equórum ductu, ardéntibus contínuo ad féretrum céreis, in sacram erémum perlátus, in oratório suo Joánnis epíscopi Constantiénsis, sui olim discípuli, fratrúmque mánibus sepúltus, miráculis cláruit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus; et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno Lectiones de Homilia in Evangel. **Ecce nos reliquimus.** de Communi Abbatum.

Die 20. Octobris.

S. Wendelini Abbatis, Confessoris.

Duplex.

Oratio.

Intercéssio nos, quæsumus Dómine, beáti Wendelíni Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Petri de Alcantara Conf.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Wendelínus (qui et Wendalínus) natióne Scotus et régia (ut ferunt) orígine procreátus, cum humilitátem christiánam in abjécta vita natálium splendóri præférret, patris digréssus solo ad illam Trevirórum regiónem pervénit, quam nunc sancti Wendelíni (ut ab illo nuncupátur) óppidum tenet: ubi sese viro nóbili in servitútem últimam subúlci addíxit, in qua cúltui divíno sacræque religiónis exercítiis inter pervigília, inediámque et assíduas noctu diúque prodúctas obsecratiónes, magna sanctitátis fama vacávit, cum omne, quod a labóre suppetébat ótium, ad Dei laudes precandíque stúdium convérteret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Verum postrémo perfectióris vitæ sub aliórum disciplína transigéndæ amóre inflammátus, in Tholojénse cœnóbium concéssit, ubi latiórem nactus in aliórum consórtio et sub aliórum império humilitátis exercéndæ campum, quæ seórsim meditátus erat abjectiónis exémpla, in societáte aliórum usu exercitióque confirmávit. In superióribus Dei persónam auctoritatémque revéritus, mandáta imperántium ceu divínam voluntátem amplectebátur; æquálibus ad ómnia caritátis offícia promptíssimus; nulli non demísse insérviens prætérquam córpori próprio, quod insígni abstinéntia macerábat.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

His aliísque virtútum exercítiis ad mortem usque déditus, Abbátis múnere monastério invítus præfícitur, in quo non domésticis tantum, verum et extérnis insígni sanctitátis opinióne venerándus appáruit. Quo factum est, ut postquam duodécimo Kaléndas Novémbris e vivis sublátus est, in ejus memóriam et honórem óppidum, hodiédum suo nómine insignítum, cum illústri Basílica eo loco exstruerétur, quo corpus Sancti Nonis Júlii translátum est. Quod insígni olim miraculórum frequéntia, et pópuli undequáque religiónis grátia eódem confluéntis multitúdine celebrátum fuit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus; et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno Lectiones de Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus. de Communi Abbat.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et Sociarum Virg. et Mart.

Duplex.

In utrisque Vesp. ad Magnif. et in Laud. ad Bened.

Ant. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Adducéntur regi Vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Oratio.

Da nobis, quǽsumus Dómine Deus noster: sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus palmas incessábili devotióne venerári; ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Wendelini Abbatis Conf. et S. Hilarionis Abbatis. Ant. Simílabo eum. ℣. Amávit eum. Oratio. Intercéssio.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Dum sǽculo quinto fere médio Attila Hunnórum dux a prima sua in Gállias irruptióne, ubi ad Cataláunum profligátus fúerat, in Pannóniam revertebátur, ántequam Rhenum trajíceret, nobilíssimam urbem Colóniam Agrippínam aggréditur, et ob ódium cathólicæ religiónis, quæ ibi máxime florébat, eam rapína ac cǽdibus vastábat. Sævíssimo autem ímpetu bárbari libídine æstuántes in vírgines puéllas irruébant, quæ a Británnia emigrántes ibídem commorabántur: inter quas præclaríssima éxstitit virgo Ursula nómine, quæ céteras hortabátur sócias, ómnia pótius subíre torménta mortémque crudelíssimam obíre, quam virginális pudicítiæ detriméntum pati.

℟. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

Lectio v.

Cum nóbile hoc virgíneum agmen constantíssime Hunnis restitísset, partim ab ipsis gládio trucidátæ, partim sagíttis transfíxæ, partim véctibus contúsæ martýrium consummárunt. Ursula vero super cómitum suárum velut cæléstium margaritárum acérvum gloriósa víctima procúmbens, púrpura pro fide et castitáte fusi sánguinis decoráta, exércitum géminis virginitátis et fídei corónis insígnem in cælum triúmphans introdúxit. Postquam vero sæva barbarórum procélla deflúxit, Colonienses supérstites vírginum aliorúmque cívium Mártyrum córpora ut pretiósa pígnora collegérunt et summo honóre condidérunt.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

In agro virgíneo sánguine rubro, in quo sacra quies Martýribus data fuit, basílica ædificáta est, jam médio sǽculo séptimo sanctárum Vírginum dicta, ob quarum reveréntiam nullum exínde cadáver humánum illic tumulabátur. Quæ sǽculo no-

no monastérium facta, inítio décimi moniáles ob metum Hungarórum prófugas recépit, semper ab ínclytæ civitátis præsúlibus liberáliter dotáta et pie visitáta. Conspiciúntur usque in hunc diem ecclésiæ sæpe restaurátæ muri Mártyrum lóculis úndique exornáti, dum major reliquiárum pars intra chori paríetes et sub paviménto látitant; cernúntur in próximo oratório innúmera vírginum cápita, martýrii vestígiis partim insigníta. Hæc sacra pígnora prætéritis tempóribus piis peregrinatiónibus fidéles prosecúti sunt.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In III. Nocturno Lectiones de Homilia in Evang. Símile erit regnum cælórum. de Communi Virg.

Lectio ix. (duabus junct.) de S. Hilarione Abbate ut in Brev., et de eo fit Commem. in Laud.

Die 26. Octobris.

S. Amandi, primi Argentoratensis Ep., Conf.

Duplex.

Oratio.

Dómine Jesu, qui nobis beátum Amándum Confessórem tuum atque Pontíficem bonum dedísti pastórem: te súpplices exorámus; ut illíus intercessióne omnes oves errántes nunc ad te pastórem et epíscopum animárum suárum convertántur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Et fit Commem. S. Evaristi Papæ, Martyris.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Sacra evangélii luce Alsátiam non ita diu post Apostolórum témpora collustrátam fuísse, vix dubitári potest Irenǽo testánte: Ecclésias in Germániis sitas eámdem cum áliis ecclésiis crédere ac trádere doctrínam. Verum pusíllus tunc erat fidélium grex, dispérsus necdum própriis instrúctus pastóribus. Sacra mystéria clam celebrabántur, et furéntibus idolórum cultóribus

oppréssa delitescébat ecclésia. Tandem benígna divínæ providéntiæ dispositióne circa finem sǽculi tértii, Matérno cum sóciis in Alsátia prædicánte, ad fidem Christi ingens incolárum númerus convérsus est, templa exstrúcta et prima episcopátus Argentinénsis jacta sunt fundaménta, quam ecclésiam paulo post Amándus primus gubernávit epíscopus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Arduum erat Amándi ministérium: Gentílium erróres dissipáre, mentes illumináre, corda allícere et sic gregem Christi multiplicáre, diúrnis atque noctúrnis studébat curis. Nec minor illíus erga fidéles sollicitúdo: débiles in fide firmábat, ignáros instruébat, segnes stimulábat, in cunctis caritátis ac pietátis ardórem accendébat, ómnium necessitátibus prospiciébat. Quanto autem zelo fídei custodíerit depósitum, ex eo élucet, quod cum Euphrátas Coloniénsis epíscopus Ariána inféctus hǽresi Verbi divinitátem negáret, Amándus ímpiam exhorréscens doctrínam, cum quatuórdecim áliis episcopis anno trecentésimo quadragésimo sexto in concílio Agrippinénsi congregátis, Ariánam impietátem damnáverit, et anno insequénte concílio Sardicénsi subscríbens, consubstantialitáti Verbi iterátum reddíderit testimónium: qua vigilántia sanctus antístes fídei veritátem in ecclésia sua servávit incontaminátam.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Immarcescíbilem glóriæ corónam a príncipe pastórum accépit Amándus, séptimo Kaléndas Novémbris post médium sǽculi quarti defúnctus. Sacrum

ejus corpus diu in ecclésia Rhenaviénsi quiévit prodígiis clarum. Cum autem anno millésimo trecentésimo nonagésimo octávo collégium canonicórum ex Rhenávia Argentorátum ad ecclésiam sancti Petri vulgo senióris transferrétur, jussit Wilhélmus secúndus epíscopus Argentinénsis transférri simul corpus sancti Amándi. Translatióni assignáta est ipsa dies festíva anniversária beáti præsulis, qua a clero tum sæculári tum reguléri, necnon univérso pópulo óbviam procedénte summo lætítiæ ac devotiónis sensu excéptæ sunt sacræ relíquiæ et in dictam ecclésiam dedúctæ in eáque repósitæ fuérunt, ubi usque in hodiérnam diem públicæ fidélium veneratióni exponúntur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus Pharisǽis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 138. de Script.

Expónit apértius ipse Dóminus per ministérium nostrum, ex ipso evangélio commémorans caritátem vestram et dicens: Audíte, quid commendávi: Ego sum pastor bonus, dixi: quia omnes céteri, omnes pastóres boni membra mea sunt. Unum caput, unum corpus, unus Christus. Ergo et pastor pastórum: et pastóres pastóris: et oves cum pastóribus sub pastóre. Quid sunt hæc, nisi quod dicit Apóstolus: Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa; ómnia autem membra córporis, cum sint multa, unum est corpus: sic et Christus. Ergo, si sic et Christus, mérito Christus in se habens omnes pastóres bonos, unum comméndat dicens: Ego sum pastor bonus. Ego sum, unus sum, mecum omnes in unitáte unum sunt. Qui extra me pascit, contra me pascit: Qui mecum non cólligit, spargit.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio viii.

Ergo audíte ipsam unitátem veheméntius commendátam: Hábeo, inquit, álias oves, quæ non sunt de hoc ovíli. Loquebátur enim primo ovíli de génere carnis Israël. Erant autem álii de génere fídei ipsíus Israël, et extra adhuc in géntibus erant: prædestináti, nondum congregáti. Hos nóverat, qui prædestináverat: nóverat qui redímere sánguine suo fuso vénerat. Vidébat eos nondum vidéntes eum: nóverat eos nondum credéntes in eum. Hábeo, inquit, álias oves, quæ non sunt de hoc ovíli, quia non sunt de génere carnis Israël. Sed tamen non erunt extra hoc ovíle, quia opórtet me eas addúcere, ut sit unus grex et unus pastor.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix. de S. Evaristo ut in Breviario Romano, et de eo fit Commemoratio in Laudibus.

Die 30. Octobris.

Ss. Reliquiarum.

Duplex.

Antiphonæ et Psalmi in Horis minoribus et Completorio de Feria currente; reliqua præter propria hic sequentia de Communi plurimorum Martyrum.

Oratio.

Auge in nobis Dómine resurrectiónis fidem, qui in sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex Tractátu sancti Joánnis Damascéni de fide orthodóxa.

Lectio iv.

Lib. 4. cap. 16.

Christus Dóminus sanctórum relíquias velut salutíferos fontes præbuit, ex quibus plúrima nobis benefícia manant suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam huic sermóni fidem détrahat; nam si aqua in desérto ex áspera et sólida rupe, atque ex ásini maxílla ad sedándam Samsónis sitim, Deo ita voléNte prosíliit: erítne cur cúiquam incredíbile videátur, ex Mártyrum relíquiis suáve unguéntum scaturíre? Mínime certe; iis quidem, quibus Dei poténtia honórque quo Sanctos suos áfficit, perspéctus et explorátus est. Atque illud quidem véteri lege comparátum erat, ut quisquis mórtuum contigísset, immúndus censerétur; verum hi in mortuórum número mínime habéndi sunt.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illǽsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v.

Ex quo enim ípsamet Vita ac vitæ Auctor inter mórtuos adscríptus est, eos qui in spe resurrectiónis fideíque erga eum diem extrémum clausérunt, mórtuos haudquáquam appellámus. Qui enim mórtuum corpus mirácula édere queat? Per ea dǽmones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci prospíciunt, leprósi mundántur, tentatiónes ac mœróres discutiúntur, ac dénique omne donum óptimum a Patre lúminum eórum ópera ad eos, qui fide mínime dúbia póstulant, descéndit. Quid non labóris suscípias, ut patrónum quemdam nanciscáris, qui te mortáli regi ófferat ac tuo nómine ad eum verba fáciat? An non ígitur hi honorándi sunt, qui totíus humáni géneris patrónos se profiténtur ac Deo nostra causa súpplicant?

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes.

Lectio vi.

Honorándi certe et quidem ita, ut in eórum nómine templa Deo exstruámus, dona offerámus, eórum memóriam colámus atque in ea spirituáliter oblectémur; quo nimírum lætítia nostra iis, a quibus invitámur, cóngruat, ne dum eos cólere et demeréri studémus, offendámus pótius et irritémus. Quibus enim rebus Deus cólitur, iísdem quoque servi ipsíus oblectántur: quibus autem Deus offénditur, iísdem étiam ipsíus mílites offendúntur. Quocírca in psalmis et hymnis et cánticis spirituálibus, et compunctióne et eórum, qui in egestáte versántur, commiseratióne, quibus obséquiis Deus potíssimum conciliátur, sanctos colámus; státuas ipsis et visíbiles imágines erigámus: imo ipsi virtútibus eórum imitándis hoc consequámur, ut vivæ eórum státuæ atque imágines simus.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos: et in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III. Nocturno Lectiones de Homilia in Evangel. Descéndens Jesus. de Communi Mart. 2. loco.

FESTA NOVEMBRIS.

Die 3. Novembris.

Pro Commemoratione

S. Iddæ Viduæ.

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

Exáudi nos Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ Iddæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

Lectio ix.

Idda ex Kirchbergénsibus in Suévia comítibus oriúnda, paréntum votis cedens Henríco Toggenburgénsi cómiti nupsit. In patérna domo pie educáta ac virtútibus excúlta, ómnia jam christiánæ mulíeris offícia sédulo adimplébat, mira erga cónjugem mansuetúdine, famulórum subjectorúmque cura et in infírmos egenósque liberalitáte enitéscens, cunctósque ad christianárum virtútum praxim exémplo et piis adhortatiónibus éxcitans. At exímiam fámulæ suæ constántiam probávit Deus. Cum enim propter pérditum fortuíto conjugálem ánnulum de ipsíus virtúte et fidelitáte dubitáret comes, innocéntem ac religiosíssimam cónjugem ex summa arce ad ima præcípitem egit. Quo ex lapsu mirabíliter serváta, soli jam Deo vívere constítuens se in solitúdinem recépit; ubi constrúcto própriis mánibus tuguríolo, radícibus et aqua vitam sústinens complúres annos sanctíssime exégit. Mutáto tamen domicílio, non procul a Fischingénsi órdinis sancti Benedícti cœnóbio, máximo vitæ rigóre carnem domans, in ferventíssimo ómnium virtútum exercítio ad seram usque senectútem perseverávit. Diébus autem suis religiosíssime explétis, multis étiam miráculis clara obdormívit in Dómino, sub finem sǽculi duodécimi, in prædícto cœnóbio sepúlta, ubi etiámnum máxima cum veneratióne sacri ejus cíneres asservántur.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit Commem. S. Iddæ.

Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio. Exáudi nos. ut supra.

Die 5. Novembris.

(Dies fixa ex 3. hujus.)

S. Pirminii Episc., Conf.

Duplex. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui in corde sancti Pirmínii Confessóris tui atque Pontíficis ignem tui amóris accendísti: da, ut eódem caritátis ardóre ab omni labe peccáti mundémur. Per Dóminum nostrum.

Commemoratio S. Caroli Borromæi et Octavæ Omnium Sanctorum.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

De pátria, ortu et juveníli ætáte sancti Pirmínii nihil omníno nóscimus. Pro certo vero scimus sanctum virum a Deo suscitátum fuísse ad instaurándam in plúrimis monastériis collápsam disciplínam, nováque cœnóbia tuéndæ promovendǽque evangélicæ perfectiónis grátia instituénda. Episcopáli unctióne insignítus, a nóbili quodam viro ad veram fidem propagándam prope Rhenum vocátus, primo límina Apostolórum pétiit, ut a Summo Pontífice ad regiónis illíus pópulos mitterétur. Roma regréssus Gálliæ epíscopos in sýnodum tunc congregátos ádiit, ipsis obténtam verbi divíni prædicándi potestátem nuntiatúrus, et ab eis étiam in eórum diœcésibus fidem et sanctitátem verbo suo promovéndi licéntiam impetratúrus. A quibus benigníssime excéptus, Helvétiam proféctus est, ibíque sicut et in Suévia, Bavária, Francónia et Palatinátu verbum Dei cum máximo succéssu nuntiávit, multósque non solum ad fidem et sanctitátem, sed ad arctam quidem perfectiónis evangélicæ exercitatiónem perdúxit. Ideo favénte semper nóbili viro, qui eum vocáverat, insígne in ínsula Augia prope Constántiam in fínibus Suéviæ cœnóbium cóndidit, quod deínde Dives-Augia fuit vocátum.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

A Theobáldo Suéviæ duce propter amicítiam Cároli Martélli Francórum Príncipis, qua gaudébat, cœnóbio suo pulsus, sibi in gubérnio monastérii sanctum et sapiéntem Heddónem, qui póstea ad pontifíciam sedem Argentinénsem fuit evéctus, suffécit et in Alsátiam proféctus est. Ibi ab Eberhárdo, Adalbérti Alsátiæ ducis fílio, ad quem usque Pirmínii fama pervénerat, vocátus ipso suadénte in domíniis ejus áliud illústre Murbacénse cœnóbium fundávit, quod póstea Eberhárdus líberis orbátus própriis suis bonis, consentiéntibus uxóre Emeltrúde et fratre Luitfrído Alsátiæ duce, ditávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Igne divínæ caritátis consúmptus, glóriæ Dei et evangélicæ perfectiónis stúdio elátus, nullam sibi dabat réquiem. Transácto in abbatía Murbacénsi anno uno in sui locum monastério præfécit Románum, et abbatías diœcésis Argentinénsis multásque álias longe latéque reformávit, nullis médiis usus nisi jejúniis aliísque carnis castigatiónibus, oratióne, lácrimis et caritátis misericordiǽque suávi unctióne. Multa in Gállia, Germánia, Helvétia nova cœnóbia eréxit, inter quæ emínuit monastérium Hornbacénse in diœcési Meténsi, in quod sénio et labóribus fractus demum secéssit. Ibi ínnocens simul ac pœ́nitens pie obdormívit in Dómino, tértio Nonas Novémbris circa annum post Christum natum septingentésimum quinquagésimum quartum.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Decl. de Evang. hujus verbis.

Arbitror verba lectiónis hujus ea esse, de quibus ad immortálem Sponsum a fínibus terræ clamat Ecclésia: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Hæc nempe sunt verba, quæ contémptum mundi in univérso mundo et voluntáriam persuasére homínibus paupertátem. Hæc sunt, quæ mónachis claustra replent, desérta anachorétis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægýptum spóliant et óptima quæque ejus vasa dirípiunt. Hic sermo vivus et éfficax, convértens ánimas felíci æmulatióne sanctitátis et veritátis promissióne fidéli.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio viii.

Nam et mundus transit et concupiscéntia ejus, et relínquere hæc magis éxpedit quam relínqui. Ecce, inquit, relíquimus ómnia, et secúti sumus te; nimírum quia exsultávit ut gigas ad curréndam viam, nec curréntem sequi póteras onerátus. Sed nec inútilis commutátio pro eo, qui super ómnia est, ómnia reliquísse; nam et simul cum eo donántur ómnia, et ubi apprehénderis eum, erit unus ipse ómnia in ómnibus, qui pro ipso ómnia reliquérunt. Omnia sane díxerim nec tantum possessiónes, sed étiam cupiditátes, et eas máxime.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus

sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

Plus enim concupiscéntia mundi quam substántia nocet. Et hæc fugiendárum causa divitiárum præcípua est, quod aut vix aut numquam sine amóre váleant possidéri. Limósa síquidem et glutinósa nimis non modo extérior, verum étiam intérior substántia nostra vidétur, et fácile cor humánum ómnibus, quæ frequéntat, adhæret. Age ergo qui relínquere univérsa dispónis; te quoque inter relinquénda numeráre meménto. Imo vero máxime et principáliter ábnega temetípsum, si déliberas sequi eum, qui exinanívit propter te semetípsum. Pone gravíssimam sárcinam, pone asináriam molam, terrénam molem; pone illa quinque non hóminum plane juga, sed boum, quæ tibi insipiénter emísti. Alióqui sequi sponsum et veníre ad núptias spirituáles, quinária hac pressus et oppréssus córporis sensualitáte, non póteris; sed et si novíssime véneris et pulsáveris, mínime profécto aperiétur tibi, sed respondébitur de intus, quod non sit de bobus et ásinis ceterísque juméntis insipiéntibus cura Deo.

Te Deum laudámus.

Commem. Octavæ Omnium Sanctorum.

Die 6. Novembris.

S. Leonardi Conf.

Semiduplex.

Oratio.

Deus, qui beátum Leonárdum Confessórem tuum in liberándis captívis glória et honóre decorásti: vota nostra, quǽsumus réspice; atque ómnia peccatórum nostrórum víncula disrúmpe. Per Dóminum.

Commem. Octavæ Omnium Sanctorum.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Leonárdus génere nóbili ortus in Fráncia cum puer adhuc esset, a Clodovǽo Francórum rege e sacro fonte baptísmi christiáno ritu suscéptus, et a beáto Remígio Rheménsi archiepíscopo edóctus, ab ipsa

prima ætáte virtútum ómnium sólida fundaménta jecit: nam Dei caritáte et próximi dilectióne fervens, mundánis stúdiis renúntians, totum se divíno cúltui et apostólicæ vitæ consecrávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Vix puerítiam egréssus captívis visitándis et liberándis sédulam óperam dedit; a rege nempe obtinúerat, ut in víncula conjéctis, quos ipse visitásset, abscedéndi líbera potéstas fíeret. Munífícus erat in páuperes, castus, modéstus, cæléstium rerum contemplatióni addíctus; ab omni ambitiónis vítio ita aliénus, ut in aulam a rege accítus, ad episcopátum promovéndus, ímparem huic óneri se réputans, humiliórem vitam sibi ducéndam esse díxerit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

Inde in Aquitániam perréxit, et tractum Bituricénsem lustrans, regiónem illam divíni verbi prædicatióne multis miráculis illustrávit. Cum demum multa hóminum míllia ad Christi fidem convertísset, in silvam quamdam agri Lemovicénsis sese ábdidit, ibíque exstrúcto in honórem Deíparæ Vírginis monastério, omnis virtútis ac præcípue caritátis in carcerátos offíciis mirísque opéribus clarus, obdormívit in Dómino octávo Idus Novémbris.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus; et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Petri Damiáni.

Serm. de S. Benedicto

Quid ait: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te? Solémne verbum, magna promíssio, opus sanctum dignum benedictióne, relínquere ómnia et sequi Christum. Hæc sunt verba voluntáriæ persuasória paupertátis, quæ monastéria genuérunt, quæ claustra mónachis, anachorétis silvas copiósius replevérunt. Hæc enim sunt, de quibus psallit ecclésia: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras, perceptúra réquiem pro labóre, pro paupertáte divítias, pro tribulatióne mercédem.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Lectio viii.

Ecce, inquit, nos relíquimus ómnia, non solum facultátes mundi, sed et ánimi quoque cupiditátes. Neque enim relínquit ómnia, qui retínuit vel se ipsum; imo vero nihil prodest, sine seípso cétera reliquísse: quandóquidem nullum áliud onus est grávius hómini quam homo ipse. Quis enim tyránnus crudélior, quæ sǽvior potéstas hómini, quam hóminis ipsíus volúntas? Numquam sub ea requiéscere, numquam sedére licet: et quo ámplius te ad obediéndum sibi nóverit fatigári, eo magis urget, ínstigat et ónerat pietátis ímmemor, misericórdiam nésciens.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

Hoc enim próprium própria volúntas habet, ut quo obédiens obediéntior fúerit sibi, eo ámplius eum crudelióribus vínculis internéctat. Sola dilígitur, cum sola digna sit ódio, princípium iniquitátis, mortis infúsio, destrúctio magna virtútum. Veníte ergo, qui laborátis et oneráti estis, ad ónerum levatórem, et ei voce et ópere respondéte: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te.

Te Deum laudámus.

In Laud. Commem. Octav. Omn. Sanct.

Die 7. Novembris.

S. Florentii Episcopi, Confessoris.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui beátum Floréntium Confessórem tuum atque Pontíficem ex erémo ad munus episcopále sublimásti: concéde propítius; ut ejus suffragántibus méritis, ab ómnibus hujus sǽculi perículis eruámur. Per Dóminum nostrum.

Commem. S. Leonardi Conf. et Oct. Omn. Sanct.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Floréntius natióne Hibérnus, génere nóbilis a pueritia ínnocens mánibus et mundo corde vias Dómini ingréssus, exémplo plurimórum illíus ævi sanctórum non tantum hereditáriis bonis, verum étiam pátriæ valedíxit; utque ignótus ómnibus homínibus solus cum solo Deo conversarétur, in remotíssima regióne solitúdinem quæsívit. Hanc in Alsátia invénit; síquidem in valle, quam Haselacénsem nóminant, ad radíces montis sedem fixit. Ibi in densíssimis silvis exstrúcta sibi vili casa diu látitans, jejúnio, oratióne, mánuum labóre córpori duram, spirítui suavíssimam vixit vitam. A fámulis Dagobérti secúndi Austrásiæ regis venántibus fortuíto detéctus, conví-

tia, spólia, vérbera æquo, imo hílari pértulit ánimo.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

Compérta exínde Floréntii sanctitáte Dagobértus eúmdem venerári cœpit, ejúsque précibus fíliam suam Mathíldem cæcam ac mutam commendávit; qua mirabíliter sanáta rex Floréntium ad aulam suam Kirchhémium accersítum perhonorífice excépit, eíque ipsum, quem in valle Haselacénsi incolébat locum, amplásque terras régia munificéntia dono dedit. Floréntius his bonis cumulátus haud procul a primo suo domicílio ecclésiam una cum monastério in honórem sanctíssimæ Trinitátis ædificávit, ubi cum suis discípulis oratióni ac divinárum Scripturárum lectióni assídue vacábat.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vi.

Lucérna hæc sub módio abscóndita super candelábrum demum pósita est. Defúncto enim Arbogásto Argentinénsium epíscopo, Floréntius invítus regis, cleri ac pópuli unánimi suffrágio in múnere episcopáli suffectus est. Prædecessóris apostólicum imitátus zelum nihil intentátum relíquit, ut doctrínæ ac morum púritas in commíssa sibi ecclésia floréret; utque augerétur operariórum númerus, viris religiósis ex Scótia et Hibérnia accurréntibus Argentoráti primo hospítium, deínde monastérium ac ecclésiam sub nómine sancti Thomæ exstrúxit. Honorificáto ígitur per plures annos ministério, Floréntius prænuntiáta mortis suæ die pie in Dómino óbiit séptimo Idus Novémbris, séptimo sǽculo ad finem vergénte, sepultúsque est in præ-

dícta sancti Thomæ ecclésia, ex qua ineúnte sǽculo nono Ráchio Argentinénsis epíscopus relíquias ejus tránstulit in monastérium Haselacénse, quod subínde in collégium Canonicórum mutátum est, ubi sacrum Floréntii corpus hodiédum numeróso populórum concúrsu et vulgáta beneficiórum divinórum fama cólitur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est: et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 11.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo lucérnam accéndit et in abscóndito ponit, neque sub módio, sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur lumen vídeant. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Comment. in Evang. Luc., lib. 7.

Nemo lucérnam accéndit et in abscóndito ponit, neque sub módio; sed super candelábrum, ut qui ingrediúntur lumen vídeant. Ergo quia in superióribus Ecclésiam Synagógæ prætulit, hortátur nos, ut fidem pótius nostram ad Ecclésiam transferámus. Lucérna enim fides est, juxta quod scriptum est: Lucérna pédibus meis verbum tuum, Dómine. Verbum enim Dei fides nostra est; verbum Dei lux est, lucérna est fides. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. Lucérna autem lucére non potest, nisi aliúnde lumen accéperit.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio viii.

Hæc est lucérna quæ accénditur, virtus scí-

licet nostræ mentis et sensus, ut drachma illa possit quæ períerat reperíri. Nemo ergo fidem sub lege constítuat. Lex enim intra mensúram est, ultra mensúram grátia; lex obúmbrat, grátia claríficat: et ídeo nemo fidem suam intra mensúram legis inclúdat, sed ad Ecclésiam cónferat, in qua septifórmis Spíritus relúcet grátia: quam princeps ille sacerdótum fulgóre supérnæ divinitátis illúminat, ne eam legis umbra restínguat.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Dénique lucérna illa, quam matutínis vespertinísque tempóribus ritu véteri Judæórum princeps sacerdótum solébat accéndere, velut sub módio sita legis evánuit, et cívitas illa Jerúsalem, quæ in terris est, quæ occídit Prophétas, quasi in conválle fletus pósita delitéscit: illa autem Jerúsalem, quæ in cælo est, in qua mílitat fides nostra, in illo altíssimo ómnium locáta monte, hoc est in Christo, Ecclésia non potest ténebris et ruínis hujus mundi abscóndi, sed fulgens candóre solis ætérni luce nos grátiæ spirituális illúminat.

Te Deum laudámus.

Commem. Oct. Omn. Sanct.

Die 14. Novembris.

Beatæ Elisabethæ Bonæ Virginis.

Duplex.

Oratio.

Crescat, Dómine, in nobis passiónis unigéniti Fílii tui afféctus: et beátæ Elísabeth Vírginis imitatióne, ejus memória in córdibus nostris júgiter augeátur. Per eúmdem Dóminum.

Commem. S. Didaci Conf.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Elísabeth ob exímiam vitæ sanctitátem vulgo Bona, orta est anno Christi millésimo trecentésimo octogésimo sexto in óppido Waldsee diœcésis Constantiénsis: paréntes cathólicos hábuit Joánnem Achlérum et Annam, qui illam ecclésiæ sacraméntis initiárunt et christiánam religiónem sédulo docuérunt. In summa ánimi simplicitáte et morum honestáte primis adolescéntiæ annis transáctis, hortatóre Conrádo Kugelíno viro probo, cui se in spirituáli palæstra instituéndam tradíderat, de capesséndo tértio sancti Francísci institúto cogitáre cœpit, cui póstea in monastério Reuthe constrúcto, licet multa pertúlerit, sese adstrínxit. Pedem ex illo numquam éxtulit, proptérea inclúsa nuncupáta, eámque Anna mater defúncto viro secúta est, cum qua ad óbitum usque sanctíssime conversáta fuit.

℟. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v.

In præfáto monastério iter perfectiónis iter ferventióre quadam ratióne fuit aggréssa, et ódio flagítia quævis ita veheménter insequebátur, ut in sacramentáli expiatióne aliquándo vix inveníret confessárius, quod satis absolutióni esset. Proximórum amórem, paupertátem, obediéntiam, afflictatiónem córporis, castimóniam, abstinéntiam mirífice cóluit, sibíque advérsas sanctimoniáles, a quibus diu multúmque fuit divexáta, æquíssimo et benévolo ánimo compléxa est. Magna ánimi demissióne vilíssima loci múnia hílaris explévit: Jesu Christi patiéntis amóre veheménter incénsa, in áctibus ómnibus dolórum illíus acerbitátem et crucem contemplabátur; imo ad óbitum usque eam dolor momórdit, quod in pueríli ætáte Domínicos cruciátus ad memóriam non revocáverit frequéntius.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam. Proptérea unxit te Deus.

Lectio vi.

Supérnis plúribus charismátibus sanctimóniam Elísabeth Deus testátam vóluit. Prophetíæ dono cláruit, qua étiam tetérrimo furénte schísmate ecclésiæ pacem Martíni quinti electióne reddéndam prædíxit. Morti próxima a confessário exoráta, ut colláta sibi divínitus benefícia manifestáret, cóntegi optávit petiítque siléntio obvólvi, affírmans sese peccátis irretítam, et præsto esse ad exémplum vitam Christi, Maríæ et Sanctórum. Itaque sacraméntis refécta, ad illa verba Evangélii: Et emísit spíritum, quod legi jússerat, séptimo Kaléndas Decémbris anno Virgínei Partus millésimo quatercentésimo vigésimo, ætátis trigésimo quarto placidíssime obdormívit in Dómino, quem paulo ante obsecráverat, ut sancti Joánnis Apóstoli amóre succéndi se largirétur. Cultu público récoli Elísabeth íllico cœpit, quem a témpore, quod hóminum memóriam súperat, eídem exhíbitum Clemens décimus tértius Póntifex máximus rite probávit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In III. Nocturno Lectiones de Homilia in Evangel. Símile est regnum. ex Communi non Virg.

Die 15. Novembris.

S. Leopoldi Marchionis Austriæ, Conf.

Duplex. Oratio.

Deus, qui sanctum Leopóldum ex principátu et curis sǽculi hujus immaculátum ad regnum cæléste traduxísti: concéde propítius; tua cleméntia ita nos per hæc temporália dírigi, ut ætérnæ vitæ consórtes éffici mereámur. Per Dóminum nostrum.

Commemor. B. Elisabethæ Bon. Virg.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Leopóldus Austriæ Márchio singulári præcónio pietátis, quæ in eo mirífice elucébat, Pius cognominátus, in primo statim ætátis flore ea virtútum inítia concépit, quæ annórum progréssu in insígnem vitæ sanctitátem efflouérunt. Erat enim in júvene cum Dei timóre præclára intégritas, continéntia et humílitas: in viro justítia, misericórdia, sapiéntia, præcípuus religiónis cultus. Patre Leopóldo defúncto et principátus regímine suscépto, curis licet conjugálibus implícitus et tam doméstícis, quam públicis negótiis impedítus, sédulo tamen pietátis et misericórdiæ múnera súbiens, lassos roborábat, oppréssos sublevábat, ínopes fovébat, inter multíplices regéndi sollicitúdines totque labórum stúdia immaculátum sese ab hoc sǽculo custodiébat, temporália tractándo ætérna dispónens.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Hic princeps sacerdótes virósque religiósos ádmodum cóluit, summos quoque Pontífices tanta veneratióne prosecútus est, ut ab Innocéntio secúndo Románo Pontífice peculiáris sancti Petri fílius appellarétur. Duo monastéria celebérrima, Claustroneoburgénse et sanctæ Crucis in valle nemorósa constrúxit et amplíssimis céņsibus dotávit. Melicénse quoque a se instaurátum magno cum sumptu illustrávit. Post hujúsmodi præclára suæ erga Deum pietátis monuménta, cum Austriæ principátum quadragínta annis laudabíliter rexísset, anno Dómini millésimo centésimo trigésimo sexto vita sancte functus atque sacraméntis munítus, e terris ad cæléstem Jerúsalem transívit.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

Ejus corpus Claustroneobúrgi cónditum innúmeris miráculis cláruit, quibus Deus tanti viri sanctitátem mundo declarátam vóluit. Nam ad Leopóldi invocatiónem, ejúsdem méritis et précibus mórtui suscitáti, cæci illumináti, surdis audítus, mutis loquéndi facúltas, claudis gressus, váriis morbis laborántibus sánitas, vinctis libértas restitúta: álii quoque áliam ejúsdem opem mirabíliter expérti sunt. Quibus claríssimis sanctimóniæ documéntis rite cógnitis, Innocéntius octávus Leopóldum sanctórum catálogo adscrípsit. Ejus sacra ossa e túmulo Maximiliáno primo imperatóre transláta in eádem Claustroneoburgénsi ecclésia cum débito honóre asservántur.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus; et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbýteri.

Ex Comm. Luc. Lib. 9. c. 78.

Homo nóbilis ille est, cui supérius cæcus clamábat: Fili David, miserére mei, et veniénti Jerosólymam concinébant: Hosánna fílio David: Benedíctus, qui venit in nómine Dómini, Rex Israël. Longínqua régio Ecclésia est ex géntibus, de qua eídem hómini nóbili, qui lóquitur: Ego autem constitútus sum rex ab eo, dícitur a Patre: Póstula a me, et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, et possessiónem tuam términos terræ; quæ vidélicet hæréditas ac posséssio bifária ratióne régio longínqua vocátur: vel quia a fínibus terræ clamat ad Dóminum: vel quia longe est a peccatóribus salus, et cum Deus ubíque sit præsens, longe tamen ab eórum sensu, qui idóla colunt, Deus verus est. Sed qui erant longe, facti sunt prope in sánguine Christi.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est: et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Vocátis autem decem servis dedit eis decem mnas. Denárius númerus ad legem pértinet propter Decálogum. Vocat ígitur paterfamílias decem servos, quia elégit discípulos per lítteram legis imbútos. Dat eis decem mnas, quia dicta legis spirituáliter intelligénda revélat: post passiónem quippe resurrectionémque suam apéruit illis sensum, ut intellígerent scriptúras. Mina namque, quam Græci mnam vocant, centum drachmis appénditur; et omnis scriptúræ sermo, quia vitæ cæléstis perfectiónem súggerit, quasi númeri centenárii póndere fulgéscit.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Et ait illis: Negotiámini, dum vénio. Verba (inquit) legis ac prophetárum mýstica interpretatióne discússa pópulis offérte, atque ab eis fídei confessiónem morúmque probitátem recípite. Juxta quod Psalmísta suis auditóribus præcipit dicens: Súmite psalmum, et date týmpanum. Hoc est: laudem prædicatiónis in cordis intentióne percípite, et devotiónem óperis in carnis castigatióne redhibéte. Týmpanum quippe est pellis in ligno exténta. Pellis vero

in ligno exténta caro est nostra ad exémplum Domínicæ crucis afflícta.

Te Deum laudámus.

Die 16. Novembris.

S. Othmari Abbatis, Confessoris.

Duplex.

Oratio.

Intercéssio nos, quǽsumus Dómine, beáti Othmári Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Commem. S. Leopoldi March. Conf.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Othmárus nóbili Alemannórum génere procreátus, cum apud Victórem cómitem Curiénsem sancti Floríni título auctus sanctitátis et doctrínæ láudibus præcípue floréret, apud sanctum Gallum Waltrámi Turgóiæ cómitis stúdio multórum monachórum Abbas effectus, in vigíliis et oratiónibus assíduus fuit. Abstinéntia ita sese exércuit, ut bíduum sæpe jejúnus exsísteret. In páuperes usque ádeo benígnus, ut si nuditátis injúria oppréssum áliquem conspíceret, suis plerúmque véstibus exútus míserum contégeret, et nonnúmquam sola étiam cappa tectus ad monastérium redíret. Leprósis hospitíolum haud longe a monastério seórsim cum exstruxísset, tanta eis cura inservívit, ut sæpe noctúrnis étiam horis monastério digréssus cápita eórum pedésque ablúeret, et suis mánibus purulénta eórum vúlnera térgeret atque ad victum necessária ministráret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Sed cum Warínus et Ruthárdus id témporis Alemánniæ præfécti res ecclesiárum, præcípue tamen sancti Galli, sibi ipsis per vim nefárie vindicárent, Othmárus apud Pipínum Francórum regem de rapína conquéstus fuit. Illi vero usque ádeo in sanctum Dei commóti sunt, ut insaníre propémodum videréntur. Atque ex eo quidem témpore cum insídias ei strúere numquam desísterent, Lambértum quemdam mónachum subornárunt, ut Othmárum innocéntis vitæ virum incontinéntiæ críminis públice accusáret. Quod quidem ille audácter dum præstáret, Othmárus autem nec verbo respondéret, perurgéntibus tandem quam plúrimis: Fáteor, inquit, me supra modum in multis peccásse, de hoc autem crímine secréti mei inspectórem Deum ínvoco testem. Nec ámplius áliquid a quoquam ut adjíceret, addúci pótuit. In continénti autem Lambértus iráto Deo verso ad terram vultu ad instar quadrúpedis infléxus, omni témpore in sanctum Dei se peccásse fatebátur.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

Verum sanctus Abbas ad lacum Acrónium Pótami palátio in tetérrimum cárcerem, cibo étiam et potu negáto, inclúsus fuit. Ubi cum jam áliquot diébus miseránda fame cruciarétur, Patgózus tandem pius mónachus de nocte accedéndi ad cárcerem nactus modum aliménta ei áttulit, quoad Gosbértus quidam vir nóbilis eum in ínsulam quamdam suam deportávit. In qua quidem libérius aliquándo divínis exercítiis vacáre cum cœpísset, anno Dómini septingentésimo quinquagésimo nono vocátus in cælum sexto décimo Kaléndas Decémbris migrávit. Corpus ejus decénnio post integérrimum tanti Patris fílii in ínsula cum reperíssent, ad monastérium sancti Galli retulérunt et honorífice multis miráculis clarum condidérunt.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus; et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi,

et pervénit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia. de Communi Abbat.

Die 21. Novembris.

Pro Commemoratione

S. Columbani Abbatis.

In I. Vesperis.

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

Intercéssio nos, quǽsumus Dómine, beáti Columbáni Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Lectio ix.

Columbánus Abbas, multórum monachórum pater et miríficæ pietátis vir, ex Hibérnia inter ipsa fídei illic nascéntis primórdia oriúndus, non sine futúræ sanctitátis præságio in lucem pródiit. Hujus namque mater grávida sibi visa est in quiéte rutilántem nimióque fulgóre micántem párere solem, qui univérsum terrárum orbem luce sua illustráret. Quo sómnio significabátur fore, ut splendóre sanctitátis virtutúmque suárum ac miraculórum gentes ad Christiánam pietátem accénderet. Veritátem éxitus comprobávit; id quippe et præstitit per se et per eos, quos Christo pepérerat, e quorum número præcípui fuére Gallus et Magnoáldus, qui Suéviæ Apóstolus méruit nominári.

Te Deum laudámus.

In Laudibus.

Ant. Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Intercéssio nos, quǽsumus Dómine, beáti Columbáni Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Dom. ultima post Pentec.

(alias 26. Novembris).

S. Conradi Episc. Constantiensis, Conf., Patroni Archidiœcesis Friburg.

Duplex 1. classis cum Octava.

Quando hoc Festum non ipsa die 26. Novembris celebratur, tunc mutandus est versus tertius Hymni: Iste Conféssor in: Méruit suprémos laudis honóres.

Oratio.

Sancti Pontíficis et Confessóris tui Conrádi solémnia celebrántes, te Dómine supplíciter obsecrámus: ut ipsum apud tuam cleméntiam sentiámus habére patrónum, quem nobis tua grátia providísti salútis ætérnæ minístrum. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Commem. Dominicæ ultimæ post Pentecosten.

In I. Noct. Lectiones Fidélis sermo. de Communi Conf. Pont.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Conrádus Henríci cómitis Altorfffénsis fílius Nothíngo Constantiénsi epíscopo puer septénnis pie educándus litterísque erudiéndus tráditur. Quo magístro cum in sciéntia et christiánæ perfectiónis stúdio mirábiles fecísset progréssus, Constantiénsis ecclésiæ præpósitus primum creátur. Deínde Nothíngo defúncto ob doctrínam et morum integritátem epíscopus commúnibus suffrágiis est designátus. Quod munus cum diu recusásset, sancti Udalríci epíscopi Augustáni sibi amicíssimi rogátu et précibus victus post triduánum jejúnium suscépit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

Episcopátum magna cum laude et sanctitátis opinióne administrávit. Religiónis causa ter ad sepúlchrum Dómini Hierosólymam peregrinátus est. Constántiam plúribus templis et ædifíciis illustrávit. Duódecim páuperes exstrúcto xenodochío aléndos perpétuo curávit. Tribus tem-

plis sancti Joánnis, sancti Pauli et sancti Mauritii ædificátis proventúque ánnuo iis assignáto, Canonicórum étiam númerum ádditis reddítibus auxit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vi.

Multis virtútibus prǽditus máxime oratiónis stúdium et jejúnii observántiam cóluit. Tanta ipsíus in Deum erat fidúcia, ut quodam die festo Paschæ perácta consecratióne aráneam in cálicem delápsam animadvértens, irreveréntiam sacrosáncti sánguinis Christi omnem pénitus vitatúrus, deglutíre non sit véritus; quæ póstea ómnibus vidéntibus discumbénti ex ore, non sine admiratióne spectántium dénuo exívit. Sanctum Gebhárdum adhuc púerum sibi post Gaminólphum in episcopátu successúrum prædíxit, quam prædictiónem póstea evéntus comprobávit. Cumque Constantiénsi ecclésiæ quadragínta duóbus annis sanctíssime præfuísset, virtútum et miraculórum laude conspícuus obdormívit in Dómino Ottóne secúndo imperánte, sexto Kaléndas Decémbris anno nongentésimo septuagésimo quinto. Sepúltus est in ecclésia sancti Maurítii, et a Calíxto Papa secúndo quinto Kaléndas Aprílis sanctórum número adscríptus.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte. de Communi 2. loco.

Lectio ix. Homilia in Evang. Dominicæ ultimæ post Pentecosten ut in Breviario.

In Laudibus et II. Vesperis Commem. Dominicæ ultimæ post Pentecosten.

Infra Octavam S. Conradi.

Quando Officium non erit de aliquo Sancto novem Lectionum, fit de Octava S. Conradi ut in Festo, ritu semiduplici, præter sequentia.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

Serm. de Deposit. S. Eusebii. Int. opp. S. Ambrosii (in Append.).

Lectio iv.

Depositiónem sancti Conrádi hódie celebrámus. Quid est depositio? Non illa útique, quæ sepeliéndis in terra membrórum relíquiis clericórum mánibus procurátur; seu illa, qua homo vínculis carnálibus absolútus, liber itúrus ad cælum, terrénum corpus expónit. Ipsa plane est depositio, in qua concupíscere abjícimus, cessámus delínquere, peccáre desínimus: et totum quidquid salúti est grave, quasi abjécta sárcina óneris expónimus: nam ídeo hæc dies pro celebritáte máxima procurátur, quia vere est summa festívitas mórtuum esse vítiis, soli vívere justítiæ.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

Unde et depositiónis ipsa dies natális dícitur, quod delictórum cárcere liberáti libertáti náscimur Salvatóris. Sed videátur, sanctus Conrádus cum qua glória ad hanc diem depositiónis advénerit. . . . Voláre non potest, nisi quod purum, leve atque subtíle est, cujus nec sincéritas intemperántia retardátur nec alácritas nec velócitas mole gravátur. Graváри autem volátum dico non tam mole membrórum, quam delictórum: unde puto étiam in ipsis ávibus ídeo velócius colúmbam pene præ ómnibus volitáre, quod alacritátem innocéntia comitétur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Dénique sanctus David cum puritáte mentis voláre concupísceret, non alteríus animántis nisi colúmbæ optávit alas dicens: Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ, et volábo et requiéscam? Intelligébat enim, quod ad altióra facílius penetrátur simplicitáte mentis quam levitáte pennárum. Volávit ergo hac die sanctus Conrádus. Æstimémus jam innocéntiam de volátu, et puritátem ejus de ipsa elatióne judicémus; tamquam colúmba enim in domo Dei degens, assúmpsit spirituáles pennas et requiévit in monte.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 24.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi.

Serm. 1. de Dispensatoribus.

Domínicus sermo, quem debémus omnes non solum studióse, verum étiam sapiénter audíre, cui nos opórtet humíliter ac delectabíliter obedíre, moderatiónis suæ tenens ubíque tempériem, ut nec óvibus desint pábula nec pastóribus aliménta: quædam vero speciáliter solis præcipit nobis, quædam vero generáliter et nobis et vobis. Nobis namque id est servis, quos pater ille famílias rerum ómnium Dóminus ad hoc in sua magna domo constítuit, ut pópulo ejus verbum grátiæ ministrémus, speciáliter injúngitur sanctæ prædicatiónis offícium; generáliter vero nobis et vobis salutáris indícitur obediéntia mandatórum.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio viii.

Servórum ígitur, quos pópulo suo præpósuit Dóminus, speciáliter volens offícium demonstráre ait, quod ex Evangélio modo audívimus: Quis putas est fidélis dispensátor et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Beátus ille servus, quem cum vénerit Dóminus, invénerit ita faciéntem. Quis est iste Dóminus, fratres? Christus sine dúbio, qui suis discípulis ait: Vos vocátis me Magíster et Dómine, et bene dícitis: sum étenim.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Quæ est étiam hujus Dómini família? Nimírum illa est, quam ipse Dóminus de manu inimíci redémit et suo domínio mancipávit. Hæc família est sancta Cathólica Ecclésia, quæ per orbem terræ copiósa fertilitáte diffúnditur, et redémptam se pretióso sui Dómini sánguine gloriátur. Fílius enim hóminis, sicut ipse ait, non venit ministrári, sed ministráre, et dare ánimam suam redemptiónem pro multis. Ipse est étiam pastor bonus, qui ánimam suam pósuit pro óvibus suis. Grex ergo boni pastóris ipsa est família Redemptóris.

Te Deum laudámus.

Die 28. Novembris.

(Dies fixa ex 15. Nov.)

Beati Alberti Magni Episc., Conf.

Duplex. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui nobis ætérnæ salútis beátum Albértum Epíscopum minístrum tribuísti: præsta quæsumus; ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Commem. S. Josaphat Episc., Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Albértus Láuingæ célebri Suéviæ óppido de nobílibus et militáris órdinis paréntibus natus, a prima puerítia viam Dómini ingréssus, adoléscens Páduam nóbilem Lombárdiæ civitátem, ubi firmióra virtútum et ártium póneret fundaménta, míttitur. Cum vero basílicam ibídem ingréssus deque statu vitæ melióris meditátus, ardéntius die quadam se beátæ Maríæ Vírgini commendásset, appáret benigníssima grátiæ totíus Mater suadétque cliénti, ut órdinem Prædicatórum in Ecclésia nóviter eréctum et mire viréntem ingrederétur; fore enim, ut cæléstis sapiéntiæ thesáuris dotátus christiánum illumináret orbem univérsum. Audit mónita Vírginis beatíssimæ Albértus habitúmque sacrum a patre Felíce Jordáno, Prædicatórum tum témporis suprémo magístro insígni, cum alacritáte suscépit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

Accépto ígitur sacro hábitu pietáti, devotióni sacrarúmque stúdio literárum sese devóvit totum. Unde factum, ut ex vera sapiéntia, pleníssimo vidélicet scientiárum ómnium fonte, tantam háuserit doctrínam, ut cum ingénti admiratióne præter nobilíssimas Germániæ cáthedras académicas, Coloniénsem, Hildesheiménsem, Argentinénsem, Friburgénsem et Ratisbonénsem suæ doctrínæ et facúndiæ rádiis coruscántibus illumináverit. Caritátis ínsuper zelo accénsus beátus Pater non tantum in Germániæ, sed in plerísque fere cathólicæ Ecclésiæ fínibus, subtilíssimis interpretatiónibus Scripturárum, sanctitátis fama et doctrínæ admirábilis, et vitæ immaculátæ exémplo imitándo, hæresúmque oppugnatióne et exstinctióne ánimas Redemptóri lucrátus est plúrimas. Unde viri sanctitáte permótus Alexánder quartus Póntifex máximus, applaudénte sacro Cardinálium collégio, étiam invítum et reniténtem máxima cum cleri et pópuli totíus gratulatióne Albértum Ratisbonénsi ecclésiæ prǽficit Epíscopum.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vi.

Consecrátus Epíscopus inque throno résidens episcopáli, humilitátis, paupertátis et religiosárum disciplinárum numquam non recordabátur. Castrum episcopále dictum Thumstauf, único distans milliári a civitáte, pro devotiónis asýlo sibi habébat: ubi et insígnem illum super Lucam édidit commentárium. Verum cum triénnio magna cum laude episcopátui præfuísset, ad suos régredi festínat. Anno ígitur millésimo ducentésimo sexagésimo secúndo, annuénte Pontífice Urbáno quarto, Leóni viro integérrimo munus episcopále sponte cedit: mirificéque recreátus Colóniam ad antíquam cáthedram rémigrat. Quantum vero viri beáti sánctitas claréscat et doctrína, vel inde patet, quod et sanctum Thomam Doctórem angélicum habúerit discípulum, et illíus felicíssimum óbitum absens Colóniæ cum áliis frátribus in mensa résidens cognóverit. Rudólpho Habsbúrgico Romanórum regi nóviter elécto ratiónum et sermónis gravitáte a Sancta Sede confirmatiónem impetrávit. Discórdias inter Guliélmum Juliacénsem cómitem et Coloniénsem civitátem facúndiæ suæ dexteritáte sopívit, pacem et tranquillitátem restítuit. Tandem annum agens octogésimum plenus diérum, veræ et ætérnæ pátriæ repromissiónem suspírans, migrávit ad Dóminum décimo séptimo Kaléndas Decémbris, anno millésimo ducentésimo octogésimo, Rudólphi imperatóris anno séptimo. Corpus beáti Patris in choro ecclésiæ sanctæ Crucis a se fun-

dátæ, præsénte Sigefrído Agrippínæ Archiepíscopo, frequénti clericórum et religiosórum cœtu, in arca repósitum sáxea ecclesiásticæ tráditur sepultúræ. Cujus festivitátem Gregórius Papa décimus quintus, ad instántiam Albérti quarti Ratisbonénsis Epíscopi, celebrándam vivæ vocis oráculo concéssit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre profíciscens de Comm. Conf. Pont.

Approbatio.

Concordat cum suo originali. In fidem etc.

Friburgi Brisgoviæ, die 28. Junii 1912.

✠ Thomas, Archiepiscopus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 8. Julii 1912.

Dr. Scheglmann Vic. Gen

Index alphabeticus.

Ratisbonæ 1912. Typis Friderici Pustet.



OFFICIA PROPRIA SANCTORUM ARCHIDIŒCESIS FRIBURGENSIS.

PARS HIEMALIS.

FESTA DECEMBRIS.

Dominica I. Adventus.
In die Octava
S. Conradi Ep., Conf., Patroni Archidiœcesis Friburgensis.
Pro Commem. ejusdem.

In I. Vesperis.

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

In Laudibus.

Ant. Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

In II. Vesperis.

Ant. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Sancti Pontíficis et Confessóris tui Conrádi solémnia celebrántes, te Dómine supplíciter obsecrámus: ut ipsum apud tuam cleméntiam sentiámus habére patrónum, quem nobis tua grátia providísti salútis ætérnæ minístrum. Per Dóminum nostrum.

Die 4. Decembris.

S. Barbaræ Virg. et Martyris.

Duplex.

Oratio.

Intercéssio, quǽsumus Dómine, beátæ Bárbaræ, Vírginis et Mártyris tuæ, ab omni nos adversitáte prótegat: ut per ejus interventum gloriosíssimum sacrosáncti Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi Sacraméntum ante diem éxitus nostri, per veram pœniténtiam et puram confessiónem percípere mereámur: Qui tecum vivit et regnat.

Et fit Commem. Feriæ.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Bárbara, Virgo Nicomediénsis, in persecutióne Júlii Maximíni passa est. A patre síquidem Dióscoro, viro nóbili, sed gentíli, in alta et muníta turri, ob egrégiam ejus pulchritúdinem custodiénda inclúditur, ubi bálneum et duas fenéstras, quibus lumen exciperétur, in eo fíeri jubet. Bárbara vero absénte patre tértiam addi fenéstram, et labri paviméntum crucis imágine ornári jussit. Revérsus pater de tértia fenéstra quærit. Virgo occasiónem nacta de sacrosánctæ Trinitátis mystério multa apérte disséruit, ac plúribus verbis ad salutárem Christi fidem patrem est cohortáta.

℟. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v.

At pater non solum suæ impietátis stímulis, sed

étiam máximo Cǽsaris timóre addúctus, qui fidem Christi immániter persequebátur, fíliam modis ómnibus nítitur ad idololatríam revocáre. Cumque id cónsequi non posset, provínciæ prǽsidi eam tradit: qui primum vírginem blandítiis aggréssus, ubi se nihil videt effícere, nudam nervis búbulis crudéliter cædi, deínde præacútis téstulis vúlnera perfricári jubet. Post hæc sacra virgo in cárcerem trúditur, ubi claríssima luce et Christi Dómini præséntia ad réliqua subeúnda certámina mirífice confirmátur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Sed cum íterum prǽsidi sisterétur, et constántior in fídei confessióne persísteret, férreis úngulis dilaniátur, latéribus ardéntes faces admovéntur, caput férreis málleis contúnditur, diréptis véstibus ignomíniæ causa per pública loca perdúcitur: quibus torméntis fórtiter et invícte superátis, tandem a patre impietátis furóre aménte cápite truncáta, gloriósum martýrii agónem consummávit.

℟. Afferéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In III. Noct. Homil. S. Gregorii Papæ in Evangel. Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, de Communi Vírginum.

In Laudibus fit Commem. Feriæ.

In II. Vesp. fit a Capitulo de S. Petro Chrysologo cum Commem. præcedentis, Feriæ et Sabbæ Abbatis ℣. Justum dedúxit. ex Laud. Conf. non Pont.

Die 12. Decembris.

S. Adelaidis Imperatricis, Viduæ.

Duplex.

Oratio.

Deus, cujus grátia beáta Adeláidis imperátrix, spretis aulæ delíciis et

honóribus, in tuo timóre et servítio immóbilis permánsit: fac nos ejus exémplo et intercessióne terréna ómnia contémnere, et tibi soli servíre. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Damasi et Octavæ Immac. Concept. B. M. V. ac Feriæ.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Adeláidis, Rudólphi regis Burgúndiæ fília, a prima juventúte pietáte ac morum integritáte conspícua, décimo sexto ætátis suæ anno, Lothário Itáliæ regi núptui trádita est; quem in ómnibus pietátis ac sanctæ caritátis opéribus óptime adjúvit. Lothário e vivis subláto Adeláidis a Berengário marchióne, regni usurpatóre, in altíssima turri ad lacum Benácum inclúsa dira captivitáte afflícta est. Ibi ómnibus, quæ ad vitæ cómmodum pértinent, priváta famem, álapas et pugnos, ictus pedum et álias injúrias, præsértim ab uxóre Berengárii, perpéssa est. Qua in tristíssima sorte spem et fidúciam in Deo inconcússam consérvans, die ac nocte oratióni atque cœléstium rerum contemplatióni vacans, præclára patiéntiæ, fortitúdinis, mansuetúdinis et caritátis erga inimícos dedit exémpla. Sed Deus, qui in eum sperántes confúndi numquam permíttit, ancíllæ suæ solátium auxiliúmque provídit.

℟. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v.

Sacérdos enim nómine Martínus, qui quondam erat regínæ sacellánus, illi in hac calamitáte subvénit ac fugam e cárcere parávit. Exínde Ottónis Magni Germanórum regis opem per lítteras implórans, ab illo non solum ex insídiis et persecutiónibus Berengárii liberáta, sed et in matrimónium expetíta ipsíque rite est copuláta. Adeláidis cum Ottóne ex Itália in Germániam rédiens, aulam regis ómnium virtútum splendóribus illustrávit. Líberos in timóre et amóre Dei educávit, ac sanctitátis veræque pietátis exémplar illis se ipsam præbuit. Mater erat páuperum, auxiliátrix afflictórum. Sui victrix, Berengárii inimicíssimi ac persecutóris fílias, Gisélam et Gerbérgam in númerum famíliæ imperatóriæ adscríbi vóluit, illásque matérna caritáte fovit. Dei honórem, fidem cathólicam, Ecclésiæ augméntum, decórem domus Dei, bonos mores, pacem et concórdiam ubíque verbo, exémplo et ópere promovére stúduit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Ottónis imperatóris viri sui mortem piis flevit lácrimis, ac devóta in Deum mente dolórem novæ viduitátis portávit. Ottónem secúndum fílium in impérii administratióne óptimis consíliis adjúvit; qui licet eam ab uxóre contra matrem incitátus ab aula relegáverit et exsuláre coégerit, tamen póstea revocávit. Post fílii sui Ottónis uxorísque mortem, sancta Adeláidis impérii clavum, duránte ætáte pupillári nepótis sui Ottónis tértii íterum ténuit cum glória, amplíssima regni negótia summæ in Deum pietáti ac oratiónibus contínuis mire conjúngens. Ultimo vitæ suæ anno in Burgúndiam iter instítuit, regem Rudólphum pópulo reconciliatúra. Quibus pacátis in Germániam rédiens, mortis suæ præscia Alsátiam pétiit, ac in óppido Selz in monastério órdinis sancti Benedícti, ab ipsa quondam erécto, últimam horam, oratiónibus inténta ac Sacraméntis muníta, forti ánimo exspectávit. Paucos post dies, Eucharístiæ pábulo dénuo refécta, óculis in cœlum inténtis orávit: Cúpio dissólvi et esse cum Christo. Tandem sancta Adeláidis, múlier in tantis vitæ vicissitudínibus vere fortis, prope septuagenária placidíssime obdormívit in Dómino, die vigésima sexta Decémbris, anno post Chri-

stum nongentésimo nonagésimo nono.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum tuárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homil. 11. in Evang.

Quid in die illa (judícii) actúrus est, qui a conspéctu júdicis rápitur, ab electórum societáte separátur, qui tenebréscit a lúmine, cruciátur ætérna combustióne? Unde et hanc eámdem comparatiónem Dóminus sub brevitáte áperit, cum subjúngit: Sic erit in consummatióne sǽculi. Exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis. Ibi erit fletus et stridor déntium. Hoc jam, fratres caríssimi, timéndum est pótius, quam exponéndum. Apérta enim voce torménta peccántium dicta sunt, ne quis ad ignorántiæ suæ excusatiónem recúrreret, si quid de ætérno supplício obscúre dicerétur.

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus; considerávit sémitas domus suæ: * Et panem otiósa non comédit. ℣. Gustávit et vidit, quia bona est negotiátio ejus, non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Et panem.

Lectio viii.

Unde et súbditur: Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Utique Dómine. Atque in conclusióne subjúngitur: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum símilis est hómini patrifamílias proferénti de thesáuro suo nova et vétera. . . . Ille in sancta Ecclésia doctus prædicátor est, qui et nova scit proférre de suavitáte regni et vetústa dicere de terróre supplícii, ut vel pœnæ térreant, quos prǽmia non invítant. Audiat de regno, quod amet, áudiat de supplício unusquísque, quod tímeat, ut torpéntem ánimum et terræ veheménter inhæréntem, si amor ad regnum non trahit, vel timor minet.

℟. Regnum mundi et omnem ornátum sǽculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. Quem vidi. Glória Patri. Quem vidi.

Lectio ix.

Ecce enim de gehénnæ expressióne dícitur: Ibi erit fletus et stridor déntium. Sed quia præséntia gáudia sequúntur perpétua laménta, hic, fratres caríssimi, vanam lætítiam fúgite, si illic flere formidátis. Nemo étenim potest et hic gaudére cum sǽculo, et illic regnáre cum Christo. Temporális ítaque lætítiæ fluxa restríngite, carnis voluptátes edomáte. Quidquid ánimo ex præsénti sǽculo arrídet, ex consideratióne ætérni ignis amaréscat; quidquid in mente pueríliter hilaréscit, hoc disciplínæ juvenílis censúra coérceat: ut dum sponte temporália fúgitis, ætérna gáudia sine labóre capiátis.

Te Deum laudámus.

In Laudibus Commemoratio Octavæ Immac. Concept. et Feriæ.

Vesperæ a Capitulo de S. Lucia Virg. et Mart. ut in Ordinario Sanctorum, cum Commem. S. Adelaidis, Octavæ Immacul. Concept. et Feriæ.

Die 17. Decembris.

S. Odiliæ Virginis.

Duplex.

Oratio.

Deus, lux vera, qui beátam Odíliam Vírginem tuam a nativitáte cæcam mirabíliter illuminásti: da nobis, quǽsumus; ut illíus exémplo et intercessióne óculos a vanitáte sǽculi averténtes, te solum Deum fácie ad fáciem in cœlésti glória contemplári mereámur. Per Dóminum.

In Quatuor Temporibus, leguntur Lectiones I. Nocturni De virgínibus. ut in Communi Virginum 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Odília Attici Alsátiæ ducis et Beresíndæ primogénita sóboles fuit; sed quia cæcis óculis nata a patre repudiáta erat, a matre humanióre clam nutríci alénda trádita est. Post in Balménsi parthénio haud procul Vesuntióne educáta divinísque erudíta lítteris, crevit ætáte et sapiéntia. Jam adúlta, dum a beáto Erhárdo præsule baptizátur, visum miráculo accépit. Interjéctis áliquot annis patérnam in domum et grátiam redúcitur: ibi quidquid mundus amat despíciens, inter amplíssimas opes paupertátis amórem, in médio aulæ tumúltu solitúdinem anachoretárum retinébat; nuptiásque constánter aversáta, a patre obtínuit, ut sibi licéret cum áliis virgínibus Deo se in perpétuum consecráre. Quare Atticus in vértice excélsi montis sacram ædem et monastérium ære suo excitávit, latos eídem fundos et prædia concéssit, Odiliámque ei regéndo præpósuit.

℟. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

Lectio v.

Vix dum patúerat hoc sanctitátis asýlum, cum magna eo adflúxit vírginum multitúdo. Hæ primum nullis religiósæ vitæ régulis adstríctæ erant; Odíliam imitári pro lege habebátur. Deliberántibus póstmodo cúinam se régulæ addícerent, monásticæ an canónicæ, sapientíssima præses, suadénte loci natúra, hanc álteri prætulit. Cum vero esset in omnes lenis, se solam dúrius tractábat: pane hordeáceo et aqua, subínde módico legúmine tolerábat vitam. In rerum divinárum contemplatióne defíxa vigilábat per majórem noctis partem, quod supérerat quiéti datum: pellis hirsúta pro lecto, saxum pro pulvinári erat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Inter hæc, matérno erga páuperes et infírmos amóre, áliud monastérium amplúmque xenodochíum in ínfimo clivo exstrúxit, quo facílius inopes et débiles perfúgium invenírent. Illic non solum sacras vírgines collocávit, quæ óperam suam navárent míseris, sed étiam ipsa quotídie eos invisébat, cibis, solátiis refocillábat, neque pavébat leprosórum úlcera suis mánibus fovére. Tandem méritis annísque gravis, cum se morti vicínam intellígeret, suas sodáles in sacéllum sancti Joánnis Baptístæ cónvocat: hortátur, ut pii propósiti tenáces arctiórem cœli viam numquam déserant. Accépto deínde ibídem córporis et sánguinis Christi viático, vita cessit Idibus Decémbris, anno ut probabílius tráditur septingentésimo vigésimo. Corpus Vírginis in eódem sacéllo cónditum est, statímque sepúlchrum ejus máxima veneratióne coli ac miráculis clarére cœpit. Sacra ejus ossa magno pópuli concúrsu adhuc colúntur.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Basilíi Epíscopi.

Sermone ascetico.

Non virórum modo convéntus sunt, sed étiam vírginum. Unum tamen sciéndum est, ampliórem majorémque in mulíerum vita requíri honestátem ac modéstiam, itémque paupertátis, siléntii, obediéntiæ sororiíque amóris

virtútem; quamdam in exeúndo curam atque in congréssibus cautiónem, mútuam benevoléntiam et particulárium sodalitátum amandatiónem. In his enim ómnibus cum majóri stúdio institui debet vírginum vita.

℟. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Et veniénte.

Lectio viii.

Cui concrédita est disciplínæ cura, ea non quod jucúndum est soróribus quærat, neque ab eis grátiam iníre stúdeat, sic ut quæ ipsis in delíciis sunt indúlgeat; sed se semper gravem, metuéndam ac reveréndam exhíbeat. Nosse enim debet se eórum, quæ in cœtu commúni præter offícium admittúntur, ratiónem coram Deo esse redditúram.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades. Ecce sponsus. Glória Patri. Ecce sponsus.

In Quatuor Temporibus Lectio ix. de Homilia Feriæ; alias

Lectio ix.

Unaquæque ex convéntus número a præfécta petat non quod gratum et suáve est, sed quod est perútile et conducíbile, nihílque de iis quæ jubéntur inquírat; ejúsmodi enim consuetúdo exercitátio est et gradus ad rebelliónem: sed quemádmodum sine ullo exámine recípimus Dómini præcépta, sciéntes omnem scriptúram divínitus inspirátam esse et útilem, ita et soróres jussa antístitæ citra disceptatiónem excípiant, omne consílium sibi ab ea datum álacri ánimo, non ex tristítia et necessitáte, exsequéntes, ut ipsárum obediéntia mercédem consequátur.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit Commem. Feriæ.

FESTA JANUARII.

Die 23. Januarii.

S. Meinradi Martyris.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quǽsumus omnípotens Deus: ut qui beáti Meinrádi Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemor. Ss. Vincentii et Anastasii Mart. et S. Emerentianæ Virg. et Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Meinrádus ex nóbili génere in Allemánia natus, adhuc puer a Berthóldo patre, Sulgóviæ cómite, in sacrum Augiæ monastérium delátus traditúsque est Erlebáldo propínquo, exímia pietáte mónacho. Cum mox plúrimum in virtútibus et sciéntiis profecísset, annos natus vigintiquínque présbyter et deínde mónachus factus, céteros æmulatóres longe anteívit. Probáta ígitur ejus in virtútibus christiánis perfectióne, stúdio Bollingénsis ascetérii præféctus fuit; quo loco anachoréticæ vitæ desidério mox flagráre cœpit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et dedit illi.

Lectio v.

Igitur exploráta aliquándo vicíni saltus commoditáte, habitáque Abbátis vénia, Missáli, Breviário, sancti Benedícti régula et Cassiáni opúsculis secum sumptis, in Ezelíum concéssit montem, lácui Turicíno imminéntem, in quo jejúniis, vigíliis, córporis afflictatiónibus ásperum septénnium egit. Cum vero frequéntem hóminum ad admirábilis sanctitátis ejus experiéndam utilitátem accedéntium concúrsum gravem ádmodum experirétur, ad hunc vitándum simúlque ad tranquillitátem consequéndam, in vastíssimam silvæ obscúræ solitúdinem sese ábdidit, et céllula ac oratório in

accómmoda planítie constrúctis, vitæ réliquum admiránda sanctitáte perégit. Ibi septénnis Puérulus augustíssima spécie e sacrário procédere cumque eo oráre, et quæ non licet hómini arcána loqui, ei communicáre est visus.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio vi.

Vigínti sex annis in tam vasta erémo a viro sancto sanctíssime absúmptis, duo nefárii hómines advérsus eum conjuráti in solitúdinem adventárunt, et quamvis humaníssime ab eódem excépti, deque eorúmdem propósito ab ipso edócti, ímpie nihilóminus diréque cæsum miserabíliter strangulárunt, duodécimo Kaléndas Februárii, anno Redemptiónis octingentésimo sexagésimo primo. Quam grata autem Deo fúerit hæc víctima, nonnúlla mox mirácula comprobárunt. Céreus enim ad Mártyris caput appósitus cǽlitus illúxit, et tota solitúdo suavíssimo odóre perfúsa est; et hómines profáni corvórum, quos sanctus olim alúerat, insectatióne ac vellicatióne próditi, propédiem vivi igne combústi sunt. Aliquot vero post annis nóbile monastérium in martýrii loco eréctum est, quod hódie Mártyris memória, et imprímis ædícula Vírginis Deíparæ miríﬁce consecráta, ac prætérea grátiis crebrísque ejúsdem Vírginis miráculis toti mundo est venerábile.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 16. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis:

Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 32. in Evang.

Quia Dóminus ac Redémptor noster novus homo venit in mundum, nova præcépta dedit mundo. Vitæ étenim nostræ véteri in vítiis enutrítæ contrarietátem oppósuit novitátis suæ. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat, nisi sua retinére, aliéna rápere, si posset; concupíscere, si non posset? Sed cæléstis médicus síngulis quibúsque vítiis obviántia ádhibet medicaménta. Nam sicut arte medicínæ cálida frígidis, frígida cálidis curántur: ita Dóminus noster contrária oppósuit medicaménta peccátis, ut lúbricis continéntiam, tenácibus largitátem, iracúndis mansuetúdinem, elátis præcíperet humilitátem.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viii.

Certe cum se sequéntibus nova mandáta propóneret, dixit: Nisi quis renuntiáverit ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. Ac si apérte dicat: Qui per vitam véterem aliéna concupíscitis, per novæ conversatiónis stúdium et vestra largímini. Quid vero in hac lectióne dicat, audiámus: Qui vult post me veníre, ábneget semetípsum. Ibi dícitur, ut abnegémus nostra: hic dícitur, ut abnegémus nos. Et fortásse laboriósum non est hómini relínquere sua: sed valde laboriósum est relínquere semetípsum. Minus quippe est abnegáre quod habet: valde autem multum est abnegáre quod est.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed

ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

De S. Emerentiana Virg. et Mart.

Lectio ix.

Emerentiána virgo Romána, collactánea beátæ Agnétis, adhuc catechúmena, fide et caritáte flagrans, furéntes in Christiános idolórum cultóres cum veheméntius accusáret, a concitáta multitúdine lapídibus óbruta est. Quæ in cruciátibus orans ad sepúlchrum sanctæ Agnétis, próprio sánguine, quem pro Christo constánter effúdit, baptizáta ánimam Deo réddidit.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit Commem. S. Emerentianæ Virg. et Martyris.



Approbatio.

Concordat cum suo originali. In fidem etc.

Friburgi Brisgoviæ, die 21. Junii 1912.

✠ Thomas, Archiepiscopus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 8. Julii 1912.

Dr. Scheglmann Vic. Gen.

Index alphabeticus.

Ratisbonæ. Typis Friderici Pustet.